
LEWY

De civili condicione mulierum graecarum commentatio

1885



HENRICI LEWY

DE CIVILI CONDICIONE MULIERUM GRAECARUM

COMMENTATIO

AD THEODORUM THALHEIM

DOCTORIS GRADUM ASCENSURUS
CONSENSU ET AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHI VRATISLAVIENSIS
LIBELLUM A ME PROPOSITUM CORAM OMNIBUS DEFENDAM

JANUARII DIE XXII. HORA XI. IN AULA MINORE

CONTRA

RICARDUM KÜHNAU DRD. PHIL.
SIGUFREDUM STEINITZ CAND. PHIL.
PAULUM HABEL CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS GRASSI, BARTHI ET SOC. (W. FRIEDRICH.)
MDCCCLXXXV.

5/12/24.

Annus praeteriit, Theodore Thalheim, posteaquam socius itineris illius cognita inertia mea, ut fueras clemens semper erga discipulum, studia ad mulierum Graecarum condicionem convertendi auctor factus es. Et cum te secutus novam viam imperitus iniissem, iterum ac saepius neque consilio leni neque opera mihi defuisti: quin etiam libri tui, qui de forensibus Graecorum antiquitatibus est, priusquam publici iuris fieret, folia ad me singula misisti. Horum beneficiorum gratus memorque per omne tempus ero.

Quamquam bene alii quoque homines illustres de me meriti sunt. Exuperio Caillemer, in acedemia iureconsultorum Lugdunensi decano, complures commentarios debeo. WFröhner Parisinus auctore Iulio Oppert catalogum inscriptionum a se confectum mihi dedit. Viri spectabiles qui bibliothecae regiae Vratislaviensi praesunt et Gottingensi et Berolinensi et museo publico Neapolitano libros magni pretii comparaverunt. Wolfgangus Passow carissimus commilito et librum Berolino mihi commodavit et illic titulum descripsit. Denique et Ferdinandus Regelsberger iam Gottingensis et Henricus Rosin consobrinus Friburgensis professores iuris peritissimi consilio me adiuverunt.

Praefatio.

De domestica mulierum Graecarum condicione commentarii complures exstant[1]), de civili universa duo homines ante hoc tempus scripserunt, van Stegeren et Desjardins[2]): nec magni huius quidem liber aestimandus est. Thalheim primus[3]) in hac quaestione non solum Atticas res exposuit, verum etiam civitates ceteras spectavit: neque enim harum tituli ita multi antea aperti fuerant, veteres auctores autem fere nihil memoriae produnt.

Nos cum explorare studeremus, quemadmodum civili feminarum condicione singularum Graeciae civitatum ius ab Attico differret, hoc vehementer dolebamus plerosque titulos illius esse temporis, quo populorum paene omnia discrimina tollerentur. Accedit huc ut sit cavendum, ne nimium titulorum verbis tribuamus, propterea quod formulae apud universos Graecos minus quam in Romano iure vigent.

Inscriptionem me nullam effugisse existimo.

---

[1]) Lenz, Gesch d Weiber im heroischen Zeitalter; Meiners, Gesch d weibl Geschl I; Fickler, Einig üb d griech Frau (Progr Donaueschingen 1848); Martin, Hist de la condition des femmes chez les peuples de l'antiquité; Chasles, Études sur l'antiqu; Camboulin, Étude sur les femmes d'Homère; Maehly, D Frauen d griech Altert; van Stegeren, De Condic domest fem Athen; Clarisse Bader, La femme Grecque; Saripolos: Ἀθήναιον I; Schöner: Grenzboten 1877; Babuder, La donna Spartana (Progr Capodistria 1878); etc.

[2]) van Stegeren, De condic civ fem Athen, Zwoll 1839; Alb Desjardins, De la condit de la femme dans le droit civil des Athéniens, Paris 1865 (Mémoires lus à la Sorb 1865).

[3]) Hermann, Lehrb d griech Antiqu II, 1[3]; Freiburg 1884.

Pars generalis.

I. Quae sit mulierum in iure publico condicio.

Abhorrere illud Aeschyleum (Septem 200)

> Μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
> τἄξωθεν.

a Graecorum moribus contendet nemo. Mulieribus non licet in contionem ire, non ad magistratum ullum pervenire. Cui hoc mirum? Attamen, ut Pausaniae locum omittamus (V, 6, 15) qui a matronis olim Eleis compositam tradit controversiam civilem[1]):

> Δαμοφῶντά φασι τυραννοῦντα ἐν Πίσῃ πολλά τε ἐργάσασθαι καὶ χαλεπὰ Ἠλείους· ὡς δὲ ἐτελεύτησεν ὁ Δαμοφῶν, οὐ γὰρ δὴ οἱ Πισαῖοι συνεχώρουν μετέχειν δημοσίᾳ τοῦ τυράννου τῶν ἁμαρτημάτων, καί πως ἀρεστὰ καὶ Ἠλείοις ἐγένετο καταλύεσθαι τὰ ἐς αὐτοὺς ἐγκλήματα, οὕτως ἑκκαίδεκα οἰκουμένων τηνικαῦτα ἔτι ἐν τῇ Ἠλείᾳ πόλεων γυναῖκα ἀφ' ἑκάστης εἵλοντο διαλύειν τὰ διάφορά σφισιν, ἥτις ἡλικίᾳ τε ἦν πρεσβυτάτη καὶ ἀξιώματι καὶ δόξῃ τῶν γυναικῶν προεῖχεν· αἱ πόλεις δὲ ἀφ' ὧν τας γυναῖκας εἵλοντο, ἦσαν Ἦλις · · · · ἀπὸ τούτων μὲν αἱ γυναῖκες οὖσαι τῶν πόλεων Πισαίοις διαλλαγὰς πρὸς Ἠλείους ἐποίησαν.

Ut hunc locum omittamus, KKeil olim in Museo Rhenano (XX, 555; cfr XXII, 314) alios secutus[2]) demonstrare studuit imperii Romani temporibus magis magisque feminas rem publicam capessentes non solum sacerdotiis praeesse. Cyrenaea Aretaphila temporibus Mithridatis posteaquam de patria liberanda optime merita est, iubebatur συνάρχειν καὶ συνδιοικεῖν τοῖς ἀρίστοις ἀνδράσι τὴν πολιτείαν, nec vero civibus morem gessit (Plutarch, Mul virt p 257 E). Sed, inquit, in insula Thaso mulier inveni-

---

[1]) De Gallis idem legitur apud Plutarchum, Mul virt p 438 B.

[2]) Schömann, Antiqu Gr I, 148, 6. Marquardt, Cyzicus p 92. Franz, Elem epigr Gr 323 adnot. Kuhn, Städt u bürgerl Verfass d röm Reiches I, 7.

tur ἀνθοφόρος καὶ δὶς ἀρχεῖτις καὶ τειμοῦχος καὶ διὰ βίου στεφανηφόρος (CI II, 2162, 3), Phocaeae πρύτανις στεφανηφόρος δὶς καὶ ἱέρεια τῆς Μασσαλίας ἀγωνοθέτις (CI II, 3415, 4), reperitur Trapezopoli in oppido Phrygiae femina πρύτανις καὶ στεφανηφόρος (CI III, 3953 d 4), πανηγυριαρχήσασα Gnidi (CI II, 2653, 8), Ἀσιαρχίς Smyrnae (CI II, 3324: M Αὐρηλ Ζήνων καὶ M Κλ Ἰουλιανή, Ἀσιάρχαι δίς), Sebastae in oppido Phrygiae ταμία (CI III, 3871 b 4), Spartae θοιναρμόστρια καὶ ἀγορᾶχος (CI I, 1446, 2 et 1451, 5; cfr Mus Rhen XIV, 522 adnot). — Verum non tam esse magistratus mulieres videntur quam honoris causa appellari, sicut multo iam ante coronis ac statuis honorabantur, quaecunque pecunia liberaliter in commune data de re publica bene erant meritae. Confirmatur haec sententia titulo Samio (Ross, Inscr Gr II, 193):

Ὁ δῆμος ὁ Μηλίων Σχρειβωνίαν Φιλωτέραν τὴν ἑαυτοῦ πρόξενον καὶ εὐεργέτην κτλ θεοῖς.

Nec vero iure Ross proxeniam putat illam semper in eadem familia liberis a patribus traditam velut Athenis Lacedaemoniorum[1]), ita ut filiae quoque ἐπικλήρῳ posset obtingere: immo Atheniensium mos proferendus est, qui plebiscito peregrinos de civitate optime meritos appellabant προξένους et εὐεργέτας[2]). Sed quid de Cyrenaea iudicandum? Iniit illa magistratum nullum, quare omnino nihil certi constat: cives id tantummodo petiisse, ut consiliorum auctor fieret, mihi veri simile est. Ceterum ne Romae quidem unquam accidit, ut mulier ad rem publicam accederet, nisi imperator dementissimus Antoninus Heliogabalus in senatum rogari matrem suam iussit: quae cum venisset, vocata ad consulum subsellia scribendo adfuit, id est senatus consulti conficiendi testis; idem fecit in colle Quirinali mulierum senatum (Aelius Lampridius 4). Quamquam in Asia compluribus saeculis ante regina fuit Halicarnassensium Artemisia post mariti mortem.

Sacerdotiis praeesse mulieres possunt: etsi sacra disciplina postulari solet, ut deorum viri, mulieres autem dearum sacerdotes

---

[1]) Xenophon, Hell V, 4, 23 et VI, 3 4.
[2]) G Gilbert, Antiqu publ I, 173.

sint. Innumerabilia sunt exempla. Non raro reperitur mulier στεφανηφόρος[1]) ut Smyrnae (CI II, 3150, 1 et 3173 B 24), Aphrodisiade (CI II, 2829, 15 et 2837 b 14 et 2835 A 10 et 2840), Teichiussae (Le Bas, Asie mineure N 244, 15).

Vectigalia, velut quae negotiatoribus imponuntur, mulieres non minus solvere debent. Athenis est vectigal meretricum, πορνικὸν τέλος[2]). Ibidem peregrinorum vectigal, τὸ μετοίκιον, a vidua quoque exigitur, quae drachmas solvit sex quotannis, quoad filius sui iuris factus duodecim solvere coepit[3]).

Munera, quae Graece λειτουργίαι dicuntur, non raro suscipiunt mulieres. Pamphylici sunt tituli duo saeculi aC II. dialectum exhibentes Doricam, ubi liturgiam praestant ad aedificandas munitiones oppidi (Siegismund, Curtius Stud IX, 89):

Κουρασιὼ Λιμνάου Κουρασίωνος δαμιοργίσωσα περτέδωκε ἰς πύργο ἀργύρυ μνᾶς φίκατι.

Νεγόπολις Ἀφορδισίου Νεγοπόλεις δαμιοργίσωσα περτέδοκε ἰς ἐρέμνι καὶ πυλο̃να ἀργύρυ μνᾶς φίκατι.

In insula Rhodo circa annum aC CC. feminae ad classem comparandam una cum viris ultro pecuniam dant (Newton, Greek inscr in the Brit Mus II N 343):

δεδόχθαι ἐπαγγέλλεσθαι τὸς δηλομένος τῶν τε πολιτᾶν καὶ πολιτίδων καὶ νόθων καὶ παροίκων καὶ ξένων.

Ac parte B continetur: Φιλίτιον Ἀπολλωνίου H[4]). Gymnasiarchiam[5]) praestant posterioribus temporibus saepe, quare publice honorantur: exstat in Caria στεφανηφόρος καὶ γυμνασίαρχος

---

[1]) Hermann, Antiqu sacr § 24, 11. — Cum munere flaminum hoc comparatur a Dionysio A R II, 64. Flaminis Dialis flaminicaeque nonne meminimus in titulo ex Aphrodisiade desumpto legentes (Le Bas, Asie min N 1592): Ἱεροκλῆς Ἑρμοφάντου ἀρχιερεὺς καὶ στεφανηφόρος κτλ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ἀριστονείκη Ἀριστοκράτους ἡ ἀρχιέρεια καὶ στεφανηφόρος κτλ?

[2]) Aeschines c Tim § 119. — Gilbert p 335.

[3]) Gilbert p 171.

[4]) Quod autem ceteris locis illius tituli feminae non memorantur nisi hunc in modum:
ὁ δεῖνα καὶ ὑπὲρ τῆς γυναικὸς H,
cfr de his verbis p 45.

[5]) De gymnasiarchia Atheniensi cfr Boeckh, Staatsh I, 609 et Thumser, De civ Ath munerib p 88.

(CI II, 2714, 8; cfr Le Bas, Asie min N 314, 9 et 315—18 extr), et Trapezopoli γυμνασίαρχος (CI III, 3953 c 6) et Pari (CI II, 2388, 4); Cyrenae αἰώνιος γυμνασιαρχίς (CI III, 5132, 4). Videmus in titulo Smyrnaeo Οὐλπίαν Μάρκελλαν ἀγωνοθέτιν τρὶς τῆς πατρίδος (Le Bas N 5, 8).

II. De tutela muliebri.

Vir cum certum et legitimum aetatis annum assecutus sui iuris fiat nec iam penes tutorem sit, mulieres habentur in perpetua tutela: impuberibus ἐπίτροπος est, κύριος, feminis[1]): alter ab altero differt. Occurrit idem institutum apud Indos Germanos Romanos[2]). Mulier enim infirma est levisque natura, et cum intra parietes domesticos plerumque inclusa teneri videatur imperitia negotiorum, ne fraude saepe decipiatur cavendum. Principalis haec tutelae causa est, quam Romae Cicero quidem, Ulpianus, Isidorus statuunt[3]), quam in Graecorum iure, etsi subest, immerito tamen Gide p 77 ex Aristotelis loco (Pol I, 13, 6) efficit:

ὥςτε φύσει [τὰ] πλείω * ἄρχοντα καὶ ἀρχόμενα. ἄλλον γὰρ τρόπον τὸ ἐλεύθερον τοῦ δούλου ἄρχει καὶ τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος καὶ ἀνὴρ παιδός. καὶ πᾶσιν ἐνυπάρχει μὲν τὰ μόρια τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἐνυπάρχει διαφερόντως. ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μέν, ἀλλ' ἄκυρον, ὁ δὲ παῖς ἔχει μέν, ἀλλ' ἀτελές.

Alterum est periculum ne mulier pro levitate sua aut testamento facto aut aere alieno contracto re familiari legitimos heredes privet: quae sententia Gai est[4]).

---

[1]) Vocabulum κύριος non modo de tutore muliebri, verum etiam de patre familias ac de servi domino usurpatur.

[2]) Jolly, Ueb d rechtl Stell d Frauen bei d alten Ind (Sitzungsberichte Münchener Akademie phil-hist Kl 1876). — Laband, Rechtl Stell d Frauen im altröm u german Recht (Zeitschr f Völkerpsych III). — Gide, Étude sur la condition privée de la femme, Paris 1867. — Rudorff, Recht d Vormundsch.

[3]) Cic pro Mur 12. Ulp XI, 1. Isid XI, 8.

[4]) Gai I, 192; cfr Gide p 114.

Apud Graecos quanta fuerit primitus potestas κυρίου diiudicari nequit, quatenus antiqua testimonia desiderantur: in iis quibus uti licet haec occurrunt nobis verba:

ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος

sive ἡ δεῖνα μετὰ τοῦ κυρίου

sive ἡ δεῖνα παρόντος αὐτῇ τοῦ κυρίου.

Quae verba omnia latius patent quam ut certi quicquam possit agnosci. Verum videtur hoc constare antiquis temporibus intercedendi ius tutorem habuisse, cum altero et tertio aC saeculis — his enim plerique titulorum exarati sunt — exiguae tamquam reliquiae tutelae exstent, ita ut nihil iam tutoris sit nisi aut ipsum aut per litteras illud Auctor Fio dicere, quotiescunque mulier volet. Papyrus quidem est Antonini Pii temporis, ubi legimus: ἡ δεῖνα μετὰ κυρίου οὐ παρόντος[1]). In litteris semper et mulier nominari debet et kyrios: nec enim aut hic administrandi aut illa sese obligandi habet potestatem[2]). Administrare rem familiarem epitropi est. At hic tutor quousque est mulieri? Neque enim, quin omnino sit, quisquam dubitabit. Uxori nequaquam epitropum esse Caillemer ex Isaei or Philoct § 14 efficit:

οὔτ' ἐπιτροπεύεσθαι προςῆκε τὴν Καλλίππην ἔτι τριακοντοῦτίν γε οὖσαν οὔτε ἀνέκδοτον καὶ ἄπαιδα εἶναι, ἀλλὰ πάνυ πάλαι συνοικεῖν.

Cum adulescens Athenis duodeviginti annorum sui iuris fiat, astipulandum esset Caillemero, si puellae totidem demum annos natae nuberent. Quod quamquam solet fieri[3]), a Xenophonte tamen puellas interdum quindecim iam annorum in matrimonium dari docemur[4]). Sic fieri fortasse potest ut epitropos etiam uxori opus sit, nisi communio bonorum omnium instituitur[5]).

---

[1]) Notices et extraits des manuscr de la bibl impér XVIII, 2 No 17.

[2]) Immerito Caillemer Demosth c Spud or § 9 attulit: cfr Van den Es, De iur famil p 160: illic enim agnoscenda breviloquentia est. Aristoph Thesm 842/3 non rectius laudatur. Nec e papyris Aegyptiacis de rebus Atheniensibus quicquam efficitur: cfr Caillemer, Les papyrus Grecs p 21 et 22.

[3]) Hermann, Ant priv[3] § 4, 19. — [4]) Xen Oecon VII, 5.

[5]) Gerber, Syst d deutsch Privatrechts § 244 extr.

Tum autem ne discordiae inter epitropum oriantur et kyrium id est maritum, una cum inito matrimonio epitropi ius nescio an transferatur ad maritum, qui per aliquantum temporis maiorem potestatem habeat[1]). Contra mulieri nondum collocatae, simulatque pubes facta est[2]), epitropi loco kyrios nimirum exsistit. Hoc etsi negabitur a nullo, tamen Caillemeri sententia probari nequit: cum compluribus veterum auctorum locis mulier matrimonio dirempto redire dicatur ad kyrium qui eam collocaverit, iam antea ex epitropo kyrium factum videri. At primum nihil opus est accurate illis locis voce κύριος significari tutelae genus quod antea fuerit: deinde titulo illo Tenio pupilli quoque tutorem publice kyrium appellari discimus: οὗ κύριος Ἀνδρογένης (Newton, Greek inscr II N 377 v 6).

Legitimus quis est tutor mulieris? Atheniensis non collocatae kyrios intellegitur ex lege quae de engyesi est apud Demosthenem XLVI, 18:

ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι[3]).

Cuius legis pars extrema controversa. Adversus Salmasium et Wesselingium, quibus filia hereditaria post mortem mariti venire videtur in eius tutelam, cui per testamentum ille tradiderit, Heffter hoc contendit[4]): Epicleros si tutore legitimo omnino caret propinquo cui nubere possit, tutorem sibi ipsa eligit etiam extra familiam nubendi venia accepta[5]). Recte neutri. Contra Odofredus Müller ita explicat[6]): Si ex his superstite nullo filia est epicleros, kyrios id est genere proximus eam ducito; si minus, velut fratris filio superstite, hic genere proximus cuicunque volet eam collocato. Probatur mihi haec sententia. Ut autem Schellingium et Desjardins omittamus, quorum

[1]) In Saxonum iure non adulta uxore tutoris pupillaris iura cum mariti iuribus concurrunt: cfr Schmidt, Vorlesungen II, 99.

[2]) De legitima aetate nihil traditur.

[3]) Cfr Thalheimi Antiqu forens p 8 adnot 2 de hac lege.

[4]) Athen Gerichtsverfassung p 74.

[5]) Cfr Plattner, Beiträge p 118. — [6]) Dorier[1] II, 194 adnot 2.

ille ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ legi vult[1]), hic ad ἐπιτρέψῃ archontem subintellegit — Significatur, inquit, isto vocabulo archon in marito eligendo mulieri arbitrium facere[2]) — Thalheim sequitur KFHermannum ita fere disserentem[3]): Si non est epicleros. velut si frater mortuus filios reliquit, tum kyrios is exsistit quem epitropum liberorum esse per testamentum kyrios novissimus iussit. — At haec in lege desideramus: Filia si epicleros est, proximo nubit genere; si minus velut si fratris filii sunt superstites, in horum tutelam pervenit et his non adultis in eius qui est epitropos.

Miramur quod complures inveniantur unius mulieris tutores sicut fratres Athenis interdum[4]): item pupillus compluribus uti potest tutoribus[5]). Romae idem nobis occurrit. Quid tum de auctoritate iudicandum? Utrum unius sufficit an omnium opus est? Utut de pupillo res se habet, mulieri videtur unius auctoritas requiri, ut negotium ab homine sui iuris contrahatur. Ceterum fortasse hoc non est nisi posteriorum temporum, quibus cogebatur saltem more tutor semper interponere auctoritatem.

Mulieris nuptae maritus kyrios est[6]), etiam si est epicleros eademque filii adulti mater[7]). Dareste ita dicit: „Le premier effet du mariage était de soumettre la femme à l'autorité de son mari; mais cette autorité n'est pas à proprement parler une puissance et ne ressemble nullement à la Manus du droit romain. C'est une magistrature et, comme dit Aristote, un pouvoir qui a un caractère politique. Le mari devient le κύριος de sa femme, parce que toute femme doit avoir un κύριος et que, dans le mariage, ce droit ne peut appartenir qu' au mari"[8]). — Uxor

[1]) De Solon leg 97.

[2]) Mém sur la condition de la femme dans le droit civil des Athéniens (Mém lus à la Sorbonne 1865).

[3]) Juris domestici etc comparatio p 10.

[4]) Demosth XL, 7: πάλιν ἐκδόντων αὐτὴν τῶν ἀδελφῶν Μενεξένου καὶ Βαθύλλου. — Isae II, 3: ἦμεν δὲ αὐτῷ παῖδες τέτταρες ἡμεῖς, δύο μὲν υἱεῖς, δύο δὲ θυγατέρες. τελευτήσαντος δὲ τοῦ πατρὸς ἐκδίδομεν ἡμεῖς τὴν πρεσβυτέραν ἀδελφήν κτλ προῖκα ἐπιδόντες εἴκοσι μνᾶς.

[5]) cfr Antiqu forens p 12 adnot 3.

[6]) cfr Schol ad Aristoph Equ 969, Eustath ad Iliad XIX, 291.

[7]) Antiqu forens p 10 adnot 2. — [8]) Journal des Savants 1874, p 621.

si post mariti mortem aut divortio facto in suam familiam redit, proximus genere denuo tutor fit[1]: sin autem in domo mariti mortui vidua manet, in filiorum tutelam pervenit aut in eius qui epitropos est[2]. — De rebus Atheniensibus hactenus.

Amorgi in insula Ionica mulieri nuptae alius kyrios esse ac maritus Thalheimo videtur[3], qui titulis nititur duobus:

Ὅρος χωρίων · · · ρει καὶ οἰκίας καὶ κ(ήπων) τῶν Ξενοκλέους τῶ(ν κει)μένων ἐμ Φυλινχείᾳ καὶ τῶν ἐπικυρβίων ἐνεχύρων ὑποκειμένων συνεπιχωρούσης τῆς γυναικὸς Ἐρατοκράτης καὶ τοῦ κυρίου Βρουκίωνος τῶ(ι) ἐράν(ω)ι καὶ Ἀρισταγόρᾳ τῷ ἀρχεράνῳ καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ εχεν (ἔχειν?) πρὸς τὴν ἐγγύαν ἣν ἐγ(ράψα?)το Ξενοκλῆν τοῦ ἐράνο(υ ὃν) συνέλεξεν Ἀρισταγόρα(ς κα)τὰ τὸν νόμον τῶν ἐ(ρανισ)τῶν[4].

Ἐπ' ἄρχοντος Φανοκράτους μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἀπέδοτο Νικήρατος καί Ἡγεκράτη καὶ ὁ κύριος Τελένικος Κτησιφῶντι Πυ · · · που τὰ χωρία καὶ τὴν οἰκίαν καὶ τὸν κέραμον πάντα ἃ ἔχει διελόμενος Νικήρατος πρὸς τὸν ἀδελφὸν Ἀνοίνην (?) καὶ τὰ χωρία ἃ ἐπρίατο Νικήρατος παρ' Αἰσχυρίωνος ἅπαντα καὶ τὰ χωρία ἃ ἔχει θέμενος Νικήρατος παρὰ Ἐξακέστου ἅπαντα ἀργυρίου δραχμῶν πεντακισχιλίων ἐπὶ λύσει. ὑποτελεῖ δὲ μίσθωμα Νικήρατος Κτησιφῶντι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν δραχμὰς πεντακοσίας ἀτελεῖς[5].

Si hoc vere dicatur, quasi liberum matrimonium agnoscendum erit, sicut et apud Romanos posterioris temporis et apud Germanos nupta in sua ipsius familia permanere potest: apud Germanos quidem in mundio patris aut proximi genere, Romae autem in patris manu: qua si vel emancipatione vel patris morte liberata est, femina sui iuris fit[6]. Attamen in Graecia novum hoc et inauditum est eoque magis refellendum quod uterque titulorum aliter optime explicatur: cfr p 38 et 51.

---

[1]) Cfr Antiqu forens p 10 adnot 1.

[2]) ibidem adnot 2. — [3]) ibidem adnot 1.

[4]) Ἀρχαιολογιλή ἐφημερίς 1862, p 77 = Foucart, Des associations religieuses N 45.

[5]) Mitteilungen d deutsch archäolog Instit Athen I, p 346 = Dittenberger, Sylloge N 438.

[6]) Laband p 174.

Teni frater kyrios invenitur in maximo illo titulo v 122[1]) et pater: cfr omnino locos a Darestio collectos (p 376). Ceterum complures kyrii non raro nobis ibi occurrunt: velut Phido in fratrum duorum tutela est (v 99):

παρὰ Φειδῶς Χαβυσσίου Θεστιάδος μετὰ κυρίων Τιμοκράτου καὶ Χαιρέλα Χαβυσσίου,

in filiorum Aristomacha (v 77):

συνεπαινούσης Ἀριστομάχης τῆς Σωσιμένους μετὰ κυρίων τῶμ παίδων.

Axionicae (v 22), si recte Newton legit, tres sunt tutores, qui quam cognationem habeant cum muliere non cognoscitur: sunt autem inter sese duo fratres, cum pater tertius videatur:

παρ' Ἀξιονίκης Π[υθο]κρίτου Θρυη[σίδ]ος ἧς κ[ύριοι Ἴσα]νδρος Θ[ηβ]αῖο[ς] Πεισικράτους Θρυήσ[ιοι Πεισικράτης] Ἰσάνδρου Θρυήσιος.

Hanc statuere rationem cogimur. Nam cum in v 15 unicus tutor Axionicae Pisicrates Isandri filius Thryesius legatur, facere non possum ut hunc mense interiecto mortuum esse, tutelam autem ad duos filios et ad unius ex his filium pervenisse mihi persuadeam. Quodsi superstite Pisicrate filii quoque kyrii sunt, patris loco esse absentis impeditive videntur: quare et priore loco kyrii et auctores secundi venditionis soli nominantur cfr v 24: πρατὴρ Ἴσανδρος Πεισικράτους Θρυήσιος, Θηβαῖος Πεισικράτους Θρυήσιος[2]). Iphicrata (v 101; cfr v 99) in filiorum tulela est:


---

[1]) ad quem titulum laudandus: Dareste, La transcription des ventes en droit héllénique (Nouvelle revue histor de droit 1884 VIII, p 373).

[2]) Mirum quendam in modum errat Dareste p 376: „Au N° 7 Axioniké fille de Pythocritos, de Thrya, achète un immeuble assistée de son kyrios Alkisthénès fils d'Aglogénès de Thrya. Au N° 10 la même Axioniké vend un autre immeuble, et cette fois elle est assistée de trois kyrioi, à savoir Isandros et Thebaeos, tous deux fils de Pisicratès, de Thrya, et Pisicratès, fils d'Isandros. Comme les deux actes sont séparés par un intervalle d'au moins un mois, on pourrait croire qu' Alkisthénès est décédé depuis la rédaction du premier acte, et qu'il a été remplacé pour le second par les trois tuteurs, Isandros, Thebaeos et Pisicratès. Mais précisément Alkisthénès reparait au N° 11, où il achète un immeuble en son

Ἰφικρίτῃ Χαιρέλα Ἐλειθυαῖς μετὰ κυρίων Τιμοκράτου καὶ Χαιρέλα Χαβυσσίου.

Hoc enim stemma statuo:



ne praeter patrem patruus tutor esse videatur. — Sicut in v 77 filius matris viduae tutor in altero titulo Tenio (CJ II, 2338 b extr):

ὁ δεῖνα ἐπέδωκε τῷ δεῖνι Ἀριστοκράτους Γυραεῖ ἐπὶ Νικησίλῃ τῇ μητρὶ τῇ αὐτοῦ.....

Nec aliter Erythris in filii tutela vidua est:

Ἀρισταγόρῃ Διονυσοδώρου μετὰ τοῦ παιδὸς Διονυσοδώρου τοῦ Ἀριστομένου κληρονόμος οὖσα τῶν Ἀριστομένου τοῦ Μητροδώρου κατὰ διαθήκην διασυνίστησιν ἱερητείαν ἣν ἠγόρασεν Ἀριστομένης[1]).

Ut ad Doricas civitates transeamus, de tutela Laconica omnino nihil memoriae proditum est: atque Jannet[2]) magnam censet Lacaenis fuisse suo nomine agendi potestatem. Theraea Epicteta Grinni filia posteaquam a marito et a filiis duobus orba est, generum tutorem habet, non fratrem adoptivum. Cum enim enumerentur propinqui[3]), post generum nominatur Ἀντισθένης Ἰσοκλεῦς κατὰ δὲ υἱοθεσίαν Γρίννου, deinde autem huius frater consanguineus non item adoptatus Ἀριστόδαμος Ἰσοκλεῦς. Sororem Epictetae, cum esset epicleros, duxisse Antisthenes videtur. Quodsi gener tutelam habet, ius hereditarium respiciendum, cum ad

---

nom. Nous ne voyons pas la solution de cette difficulté". — At Alcisthenes primo loco minime ementis Axionicae, immo eius quae vendit tutor est: et ita ipse Dareste (p 380) recte vertit.

[1]) Dittenberger, Sylloge N 370 v 150.

[2]) Les institutions sociales et le droit civil à Sparte[1] p 110 (= Mém de l' acad d'Aix X).

[3]) CI II, 2448 III 15.

uxorem et ad liberos generi hereditas perventura sit. Idem igitur Theraea tutela spectare ac Romana videtur, ut legitimis heredibus ne surripiatur hereditas: nec in faciundo testamento tutoris auctoritate non opus est.

De civitatibus Aeolicis hoc unum certe scimus Thespiada Nicaretam in mariti tutela esse[1]).

Olymi in oppido Cariae filium tutorem invenimus in titulo fortasse ante imperii Romani tempora exarato[2]); maritum Mylasae[3]): ubi absentis patris vices obeunt epitropi frater puellae et duo patrui[4]), quamquam ex voce epitropos puellam non adultam esse haud facile efficitur.

Pergami Ciceronis temporibus tutela muliebris vigebat, cfr or pro Flacco § 74: „Emptiones falsas, praediorum proscriptiones cum mulieribus aperta circumscriptione fecisti. Tutor his Graecorum legibus adscribendus fuit.“ — Tutelam in Bithynia etiam Antonini Pii aetate exstare Gaius docet I, 193: „Apud peregrinos non similiter ut apud nos in tutela sunt feminae, sed tamen plerumque quasi in tutela sunt, ut ecce lex Bithynorum si quid mulier agat maritum auctorem esse iubet aut filium eius puberem.“ — Romana autem a Graecorum tutela vehementer differt.

In Aegyptum tutela mulierum Graeca post Alexandrum Magnum inducta etiam sub imperio Romano sicut alia instituta diu mansit[5]). Frater consanguineus tutor est in papyro temporum Antonini Pii[6]): μετὰ κυρίου οὐ παρόντος τοῦ αὐτῆς κατὰ πατέρα ἀδελφοῦ. Maritus in litteris quibus manumissio continetur anni pC CCCLIV.[7]). In alio papyro anni aC CLXVI. aut IC., qui de mutuo dato est, Caillemer fratrem tutorem agnoscit[8]):

---

[1]) Larfeld, Syll inscr Boeot p 13 sqq.

[2]) Le Bas, Asie min N 323/4.

[3]) Bulletin de corresp hellén 1881, p 39.

[4]) Le Bas N 415.

[5]) Dareste, Les papyrus gréco-égyptiens: Journal des Savants 1883, p 163 sqq.

[6]) Notices et extraits XVIII, 2 N 17.

[7]) Curtius, Anecd Delph extr.

[8]) Notices et extraits N 7. Caillemer, Les pap p 21.

Ἔτους Ις φαμενὼθ ΚΘ ἐν Διοσπόλει τῇ μεγάλῃ τῆς Θηβαΐδος ἐπὶ Διονυσίου ἀγορανόμου τοῦ περὶ Θήβας ἐδάνεισεν Ἁρσίησις Ὥρω τῶν ἀπὸ τῆς Διοσπόλεως χολχυτῶν Ἀσκληπιάδι τῇ καὶ Σενιμουθὶν πατρὸς Πανᾶτος Περσίνῃ μετὰ κυρίου Ἁρπαήσιος τοῦ χολχύτου τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς Διοσπόλεως ἐνταφιαστῶν πυροῦ ἀρτάβας εἴκοσι δύο ἥμισυ ἀτόκους. τὸ δὲ δάνειον τοῦτο ἀποδότω Ἀσκληπιὰς Ἁρσιήσει ἐπὶ τῇ παχὼν Α τοῦ αὐτοῦ Ις L πυρὸν νέον καθαρὸν ἄμυλον· ἀνθ' ὧν ἔσχηκε καὶ ἀποκαταστησάτω εἰς οἶκον πρὸς αὐτὸν τοῖς ἰδίοις ἀνηλώμασι. ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῷ καθὰ γέγραπται, ἀποτεισάτω τὸ δάνειον τὰς τῶν ἀρταβ ΚΒ ∠ ἑκάστης τὴν ἐσομένην ἐν τῇ ἀγορᾷ τιμὴν παραχρῆμα ἡμιόλιον. ἡ δὲ πρᾶξις ἔστω Ἁρσιήσει ἐκ τῶν Ἀσκληπιάδος καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῇ πάντων πράσσοντι καθάπερ ἐγ δίκης. τοῦτο δ' ἐστὶν τὸ δάνειον ὃ ἀνωμολογήσατο ἔχειν παρ' αὐτῶν· ἀνθ' ὧν προώφειλεν ὁ προγεγραμμένος αὐτῇ πατὴρ Πανὰς τῷ τοῦ Ἁρσιήσιος πατρὶ Ὥρῳ κατὰ συμβόλαιον Αἰγύπτιον ἀρταβ ΙΔ. Πτολεμαῖος ὁ παρὰ Διονυσίου κεχρημάτικα.

Cum pater feminae mortuus videatur, Harpaësis patrem ideo non nominari quod bis Panatem nominare scriba noluerit. Negat porro nuptam Asclepiadem esse (p 19), quod in litteris accuratissimis nihil memoretur. At omissum patris nomen, quod hoc loco nullius momenti est: nihil autem impedit quin Asclepias nupta et maritus eius Harpaësis habeatur, sicut scholiasta dicit ille: ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος τοῦτ' ἔστιν ὁ ἀνήρ. Aliud obstat Caillemeri sententiae. Nam si frater Harpaësis putatur, quo pacto fit ut Asclepias patris aes alienum exsolvat? Hoc non faceret, nisi nullus ei frater, ipsa autem patris heres esset. [1])

Pars specialis.

I. De iure quod ad res pertinet.

Omnino nihil dominii mulier habere potest apud Indos solos: Germanorum quidem veterum iura in fundis malunt viris quam feminis. Causa videtur similis atque illa de qua peregrini a

[1]) Verba τοῦτο δ' ἐστίν sqq Caillemer minus recte vertit: „Tel est le prêt dont l'existence a été reconnue par les parties." — Vertendum:

possessionibus etiam in Graecia prohibentur[1]), quod sine civitate possessio cogitari nequit: mulieres autem officia civilia non praestant. Quodsi in titulis hypothecariis cum aliunde tum ex Attica allatis haec fere semper verba leguntur:

ὅρος χωρίου ἐν προικὶ ἀποτετιμημένου τῇ δεῖνι,

tutori verius mulieris quam huic ipsi pro dote fundi oppignerati sunt. Verum plane et aperte in tabulis Teniis, quae fundos venditos continent, feminarum possessiones agnoscuntur[2]). Nec in Lesbiis agrorum commentariis, quos inter Macedonis Alexandri et imperii Romani tempora compositos E Fabricius nuperrime publici iuris fecit[3]), mulieres non invenimus: ubi in a particula legitur:

ἐπὶ προτάνιος Ξενοκλῆ συνταλάπαροι Σεζεία Ἀριστία Τιμαρχείω ἀμπέλων μόροι πέντε καὶ ἐπὶ Καΐκω μόροι τρεῖς καὶ Κρινία Τιμαρχείω ἐπὶ Καΐκω μόρος[4]).

et in e particula:

ἐπὶ προτάνιος Δονάκω Ἑλλανοκράτεια Ἀντιγόνω ἀμπέλων μόρους ἐν Δρομάει δύο.

Atque etiam de rebus Lacedaemoniorum haec dicit Aristoteles (Pol II, 6, 11):

ἔστι δὲ καὶ τῶν γυναικῶν σχεδὸν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο.

Theraea Epicteta fundos habet[5]):

ὥςτε ὀφεῖλεσθαι αὐτὰς ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσί μου αὐτοκτήτοις χωρίοις.

Posterioribus igitur temporibus et in Ionicis et in Aeolicis et in Doricis civitatibus possessiones feminis sunt. Vetustissimus

---

Hoc est mutuum quod habere sese confitetur ab illis, nempe ab Harsiesi et eius patre: verbis ἀνθ᾽ ὧν etc haec explicantur.

1) Antiqu forens p 5. Gilbert, Antiqu publ I, 171 et 173.

2) cfr p 15.

3) Mitteilungen d archäol Inst 1884, p 88.

4) Verba Ξενοκλῆ συνταλάπαροι non satis adhuc explicata, cum erroris suspicio in scribam cadere non videatur.

5) CI II, 2448 I extr: cfr Dareste, Testament d'Épictéta, Nouv revue hist de droit 1882 VI p 252: „Épictéta constitue cette hypothèque sur ses acquêts (αὐτοκτήτοις). La loi de Théra, comme la loi crétoise et comme le lois doriennes en général, distinguait entre les acquêts et les

vero titulus exstat Petelinus septimi vel sexti saeculi ex Magna Graecia apportatus[1]: is verba exhibet haecce:

Σαῶτις δίδωτι Σικαινίᾳ τὰν Ϝοικίαν κτλ.

II. De iure obligationum.

A. De obligationibus quales inter homines fiant.

Mulier sese ipsa obligare legibus omnium Graecarum civitatum vetatur, nisi quod apud Athenienses usque ad modii pretium potestatem habet; aliunde nihil simile traditum est:

παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν (Isae Aristarch § 10).

Sed usque ad modii pretium cur? Causa duplex videtur: et quod in rebus tam exiguis periculum non est ne detrimentum fraude mulier capiat, et quod in rebus ad communem vitae usum pertinentibus genus femininum nimis impedire nolunt.

1. De emendo vendendoque.

Athenienses tituli desunt: lex illa memoriae proditur. In tabulis Teniis tutor semper et in emendis et in vendendis fundis auctoritatem interponit, velut v 17:

ἃ ἐπρίατο Ἀμφικὼ μετὰ κυρίου Δ · · · μάχου παρ' Ἀξιονίκης καὶ κυρίου Πεισικράτους.

Quodsi et in v 61 Amphylis sola emptrix memoratur et in v 71 venditrix sola Timothea: hoc loco cum de negotiis antea confectis strictim agatur, accuratione non opus est[2]).

---

propres. Il est probable que ces derniers étaient considérés comme appartenant à la famille entière, et ne pouvaient dès lors être aliénés ou hypothéqués, ou ne pouvaient l'être qu'avec certaines formalités."

[1]) CI I, 4 = Roehl, Inscr Gr antiqu N 544.

[2]) Has venditiones saepe alii permittunt (συνεπαινοῦντος τοῦ δεῖνος): nec, si mulieres sunt, tutor unquam auctoritatem non interponit. Causae concessionis complures excogitari possunt. In v 62 sqq eam agnoscimus, quae cum fundum antea possederit nec pretium iam acceperit, fiduciam habet:

Σῖμος Ἀναξικλέους Θρυήσιος παρὰ Φασίου καὶ Μερόπου Θεστιαδῶν οἷς κύριος ὁ δεῖνα Σίμωνος Θρυήσιος ἐπρίατο τῶν χωρίων τῶν ἐν Ἐλαιοῦντι καὶ τᾶς

In Delphicis manumissionum titulis interdum ii nominantur, a quibus servum herus emit: ac de ancilla ab homine Locrensi liberata[1]) legimus:

τὰν ἔλαβε παρὰ Λυκίσκας,

nec aliter in titulo Dryopaei[2]):

ἃν αὐτὸς ἐπρίατο παρά Φειδίου Δελφίδος.

Ac ne ex his quidem efficere illas mulieres sine tutoris auctoritate vendidisse licet. Contra alius titulus[3]) exhibet:

ὃ ἐπρίατο παρὰ Χαίριδος καὶ Εὐκαρπίδα Λεπαδέων,

ἐσχατιᾶς καὶ τῆς οἰκίας καὶ τοῦ πύργου ὧν ἐπρίατο Ἀμφυλὶς παρὰ Κλεοθέας τῆς Κλεοθέου καὶ κυρίου Κλεοφάνους πάντων τὰ ἡμίση οἷς γείτων ὁ δεῖνα δραχμῶν ἀργυρίου ἑπτακοσίων πεντήκοντα συνεπαινούσης Κλεοθέας τῆς Κλεοθέου μετὰ τοῦ κυρίου Κλεοφάνους.

Id genus permissione cum possessio cedatur, non mirum est kyrium inveniri. Sine ulla vero dubitatione fiducia est in v 73 statuenda:

Εὐθύτης Ἡρακλείου Ἐλειθυαιεὺς Ἀρχισ · · · · ἐκ πόλεως ἧς κύριος Τιμόμαχος Τιμομάχου Ἡρακλείδης ἀπέδ[ωκε τὴν οἰκίαν?] ἣ ἣν πρότερον Εὐβούλου ἦν ἐπρίατο Πραξίας παρὰ Εὐβούλου κατὰ δάνειον ἐπ' ἄρχοντος Ἄρχου τοῦ Εὐποριῶνος ᾗ γείτονες Καλλιδάμας Πανταλέων δραχμῶν ἀργυρίου ἑκατὸν συνεφίοντος κατὰ τὸ δάνειον καὶ συνομολογοῦντος Πυθοκρίτου Ἀνδρογένους ἐκ πόλεως.

ad quae verba cfr v 98:

ἣ τετίμηται Φιλήμονι, πρατῆρες Φιλήμων Πασιφίλου, Πασίφιλος Φιλήμονος.

In v 19 sqq quaenam ratio concessionis sit, non constat:

πάντα ὅσα ἐπρίατο Πασιφῶν παρὰ Σ[ίμου?] Ἀναξικλέους συνεπαινουσ[ῶν τῆς δεῖνος] Ἀντιπάτρου Θρυησ[ίδος καὶ τῆς δεῖνος τοῦ δεῖνος] Φυκαΐδος καὶ τοῦ κυρίου αὐτῶμ Ἀντιχάρου Εὐπορίωνος Θρυησίου καὶ Κλεοφάνου Κλεοθέου Ἐλειθυαιέως.

Est autem kyrios Antichares nemo alius quam is qui emit ipse. Adnotat Dareste recte ille quidem: „Il y avait donc opposition d'intérêts, et en pareil cas, la loi française exige un tuteur ad hoc, mais la loi greque ne paraît pas s'être préoccupée de ce cas". Quamquam bona dotalia marito abalienare ne apud Graecos quidem licet nisi permissu illius tutoris qui comparavit dotem: cfr cum de rebus Amorginis tum maxime de ipsis Teniis infra p 35 sqq. In v 39 non modo venditoris qui iam suae potestatis est pater astipulatur — huius enim antea fundus fuit — verum etiam pater emptoris:

Καλλιφῶν Κτήτωνος Ἡρακλειδῶν παρὰ Φώκου Φωκίωνος Θρυησίου ἐπρίατο τὴν οἰκίαν ἣ ἣν πρότερον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Κτήτωνος συνεπαινοῦντος Φώκου καὶ Κτήτωνος τοῦ πατρὸς τοῦ Καλλιφῶντος.

Nodum expedire ecquidem nequeo.

[1]) Wescher et Foucart, Inscr de Delphes N 65.

[2]) ib 198. — [3]) ib 126.

ubi intellegendum tutorem esse veri simile. Attamen in N 130, ubi Aetolus quidam manu mittit:

ἅμ πρότερον ἐπρίατο παρὰ Τελεσαγόρου καὶ Ἀριστοβόυλας

et in N 247

ἃν ἐπρίατο αὐτὸς παρὰ Ἀριστάρχου καὶ Δαμῶς Ἐριναίων

coniugesne cum Thalheimo [1]) an tutorem venditricis an aliam rationem statuamus, non satis exploratum videtur.

De tituli Mylasii [2]) verbis bis repetitis

ἃ προςεπρίατο ὁ Θρασέας παρὰ Ἀρτεμισίας τῆς Ἑκαταίου Κεταμβίσσιος

quid sit iudicandum, pro iis quae modo diximus dubium non erit: quid tandem interest hocce loco tutoris quoque nomen addi, cum illius pristini negotii non fiat mentio nisi obiter? Ceterum in hoc ipso oppido Mylasae cum unus alteri possessionem vicinis advocatis tradat, eius qui kyrios est patris absentis vices epitropi tres suscipiunt [3]).

Aegyptium exstat Nechutae quod dicitur instrumentum anni aC CIV.: Pinonthes vir annorum trium et triginta et Snachomneus viginti, Semmuths viginti duo annos nata et Tathaut triginta, germani quattuor, agrum Nechutae vendunt. Mulieribus nominatis legimus haec: „cum tutore ipsarum Pinonthe una cum iis vendente" (μετὰ κυρίου τοῦ συναποδομένου). Is numero singulari ἀπέδοτο princeps et hic significatur et in parvulo additamento, in quo tres ceteros per litteras astipulatos ascriptum est. Haud dubie frater natu maximus commune patrimonium administrat [4]). Etiam Antonini Pii temporibus, cum Thinzmepos fundum Elefantinae

---

[1]) Antiqu forens p 9. De manumissione a coniugibus facta cfr infra p 40 sqq.

[2]) CI II, 2693e = Le Bas, Asie min N 416.

[3]) Le Bas N 415: cfr supra p 12.
ἐνεβίβασεν δὲ αὐτοὺς ἐναντίον μαρτύρων τῶν ὁμόρων (τῶν δεῖνα) καὶ ἐκ τῶν ἄλλων, μερῶν Δημητριάδος τῆς · · μητρίου μετὰ κυρίου τοῦ πατρὸς · · · ητρίου τοῦ Ἑρμίου τοῦ Ἀντιπάτρου κατὰ δὲ ὑοθεσίαν Αἰνέου τῶν ἐπιτρόπων αὐτοῦ ὄντος ἀποδήμου Αἰνέου τοῦ Δημητρίου ἱερέως Ἀπόλλωνος Πυθίου κα · · · · · · τοῦ Ἑρμίου τοῦ Ἀντιπάτρου καὶ Ἀττίνου τοῦ Ἑρμίου τοῦ Ἀντιπάτρου.

[4]) Boeckh, Abhandl Berlin Akad phil-hist 1820/21. Schmidt, Forschungen auf d Gebiete d Altert I, 292. Leemans, Papyri Graeci Mus Lugd Bat I, 414.

situm emat, mulieris frater nomine Pachnumis auctoritatem kyrios interponit [1]:

Θινζμεπῶς μετὰ κυρίου τοῦ ὁμοπατρίου μου ἀδελφοῦ Παχνούμιος: qui in perficiendo negotio ipse non adest: μετὰ κυρίου οὐ παρόντος. Mulier suum ipsius nomen instrumento notat aut per Socratem notari iubet propterea quod scribere nescit (διὰ τὸ μὴ εἰδέναι αὐτὴν γράμματα), et legimus: ἐώνημαι καθὼς πρόςκειται [2]). Tamen etiam in Aegyptiacis litteris invenitur:

προηνέγκαντο παρὰ Λοβάϊτος τῆς Ἐριέως ἐωνῆσθαι [3]),

cum hic tutoris fieri mentionem prorsus nihil intersit.

Emptioni similis conductio est: ne hanc quidem feminae conficere licet. Unus exstat titulus non integer, qui Olymi in oppido Cariae inventus nomina Graeca non Romana habet [4]). De sacris agitur. Legimus haec:

παρούσης τῆς δεῖνος τῆς Ἀσκληπιάδου μετὰ κυρίου τοῦ υἱοῦ Ἀριστίππου τοῦ Φανίου.

2. De dando sumendoque mutuo.

Et in dando mutuo et in sumendo opus est auctoritate tutoris. Nicareta quidem Thespias civitati Orchomeniorum drachmarum circiter XVIII milia credit. Complures exstant de illo negotio tituli [5]). In v 62 sqq (D), quibus quattuor pensionibus femina summam dedit, eae enumerantur:

Ξενοκρίτω Ἀλαλκομενίω· Νικαρέτα Θέωνος τᾶς πόλιος Ἐρχομενίων κὴ τῶ ἐγγούω Θίωνος Συννόμω τὰ γράματα μούριη ὀγδοείκοντα πέντε διοῦ ὀβολίω κὴ τῶ τεθμίω Ϝίστωρ Ἀριστόνικος Πραξιτέλιος,

---

[1]) Hic est papyrus Casatinus: cfr Schmidt l l et Caillemer, Les papyrus p 22 sq.

[2]) Cfr de hac re Schmidt p 287 et manumissionis titulum ab Amphissana factae Bull de corr hell 1881, p 451:

Χειρόγραφον Κριτοδάμου Δωροθέου Δελφοῦ ὑπὲρ Ζωπύραν Μενάνδρου .... Ἀμφισσίδα παροῦσαν καὶ κελεύουσαν γράφειν ὑπὲρ αὐτάν, ἐπεὶ ἔλεγεν αὐτὰ γράμματα μὴ εἰδέναι. ἀπέδοτο Ζωπύρα Μενάνδρου Ἀμφισσὶς τῷ Ἀσκλαπιῷ κτλ.

[3]) A Peyron, Pap Graeci Taurin Mus I p 26.

[4]) Le Bas, Asie min N 323/4.

[5]) Foucart, Bull de corr hell III et IV. Larfeld, Sylloge Inscr Boeot N 16.

Λιουκίσκω Θιουίω τὸ σουνάλλαγμα. Νικαρέτα Θέωνος τᾶς πόλιος Ἐρχομενίων κὴ τῶ ἐγγούω Θίωνος Σουννόμω τὰ γράματα δισχείλιη πεντακάτιη κὴ τῶ τεθμίω Ϝίστωρ ὁ αὐτός, Λιουκίσκω Ὁμολωΐω τὸ σουνάλλαγμα. Νικαρέτα Θίωνος τᾶς πόλιος Ἐρχομενίων κὴ τῶ ἐγγούω Θίωνος Σουννόμω τὰ γράματα πενταχισχείλιη κὴ τῶ τεθμίω Ϝίστωρ ὁ αὐτός, χρόνος ὁ αὐτός. Νικαρέτα Θίωνος τᾶς πόλιος Ἐρχομενίων κὴ τῶ ἐγγούω Θίωνος Σουννόμω τὰ γράματα χείλιη κὴ τῶ τεθμίω Ϝίστωρ ὁ αὐτός, Λιουκίσκω Θειλουθίω τὸ σουνάλλαγμα.

Summa est drachmarum XVII milium quingentarum octoginta quinque, obolorum duorum. Haec pars tituli breviarium tabellarum, quas Thespii tethmophylaces componebant. Iussi enim erant polemarchi Orchomeniorum ὑπεραμερίας — quibus pecuniam debitam certa die non exsolvi confirmatur — illas tollendas curare et tabulas rei probandae causa nomine scribae subnotato reportare. Praecise omnia carptimque scripta videntur, quare nullam tutoris mentionem fieri minime mirum. Ceterum illa verba Λιουκίσκω Θιουίω τὸ σουνάλλαγμα — cum a Foucarti partibus discedam et Thalheimi suscipiam, qui suam ipse mecum sententiam communicavit — distinctione sublata ad ea quae antecedunt refero, ita ut primi mutui tempus addatur: contra illud Ξενοκρίτω Ἀλαλκομενίω ad huiusce testimonii tempus referendum omnia mutua continet. Argumento mihi est quod in v 75 temporis descriptio post ultimam pensionem legitur.

Hoc igitur debitum posteaquam certa die exsolutum non est, ut XIX milia octingentas tres et triginta drachmas efficiat, pacto destinatur v 124 sqq (G): cui pactioni maritus Nicaretae adest et pro civitate Orchomeniorum polemarchi:

ὁμολογία Νικαρέτη Θίωνος Θεισπικῆ παρόντος Νικαρέτη Δεξίππω Εὐνομίδαο τῶ ἀνδρὸς Θεσπιεῖος κὴ τῆ πόλι Ἐρχομενίων. παρεῖαν ούπὲρ τᾶς πόλιος πολέμαρχοι.

Aliud promittitur pactum, quo et cum polemarchis una decem cives Orchomenii pecuniam illam intra tempus definitum persolvendam praestent et, si quid acciderit, utrisque mulctae imponantur. Eius pacti privati v 79 (F) exordium continet: nec minus Nicaretae tutor maritus adest: verbisque ipsis in mutuo dando auctoritatem tutoris interponendam fuisse probatur:

ἐδάνεισεν Νικαρέτα Θέωνος Θεσπικὴ παρόντος αὐτῇ κυρίου τοῦ ἀνδρὸς Δεξίππου Εὐνομίδου Καφισοδώρῳ Διονυσίου κτλ καὶ ἐγγύοις εἰς ἔκτεισιν τοῦ δανείου (sequuntur nomina) ἀργυρίου δραχμὰς 18833 ἄτοκον ἐχ Θεσπιῶν ἐς τὰ Παμβοιώτια τὰ ἐπ' Ὀνασίμου ἄρχοντος Βοιωτοῖς. ἀποδότωσαν δὲ τὸ δάνειον οἱ δανεισάμενοι ἢ οἱ ἔγγυοι Νικαρέτᾳ ἐν τοῖς Παμβοιωτίοις πρὸ τῆς θυσίας ἐν ἡμέραις γ'. ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσι πραχθήσονται κατὰ τὸν νόμον. ἡ δὲ πρᾶξις ἔστω ἔκ τε αὐτῶν τῶν δανεισαμένων καὶ ἐκ τῶν ἐγγύων καὶ ἐξ ἑνὸς καὶ ἐκ πλειόνων καὶ ἐκ πάντων καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς πραττούσῃ ὃν ἂν τρόπον βούληται. ἡ δὲ συγγραφὰ κυρία ἔστω κἂν ἄλλος ἐπιφέρῃ ὑπὲρ Νικαρέτας.

Plebiscito tandem decernitur, ut argentum mulieri reddatur (C): quo facto Pistocli argentario Thespio ad rationem illius delegatur (H et A). Duplum accipere Nicareta debet: neque enim solam solvere civitatem, verum etiam fide iussores credendum est, cum et ἀναγκάσθεν δόμεν legamus in v 46 et de solutione plebiscitum Polycratis anno fiat, annus igitur Onasimi iam praeterierit. ὑπεραμερίαι postquam a polemarchis sunt reportatae (D et E), e plebiscito tota res in lapide inciditur (B).

Contra mutui feminae dati exemplum est in papyro Aegyptio [1]. De frumento agitur. Tutor etsi auctor fit, reddendum tamen frumentum neminem praestare nisi mulierem ipsam verbis comprobatur.

3. De fideiubendo.

Inter sescentos fere manumissionum titulos Delphicos, quorum quisque βεβαιωτῆρας id est auctores secundos exhibet complures aut unum: nusquam mulier hoc munus suscipit, quamquam servos saepissime ipsae feminae in libertatem vindicant. Raro tamen femina manumissor praeter auctorem secundum deo negotium [2]) praestare dicitur. Ac ne in Teniis quidem tabulis inter auctores secundos — quibus ibi nomen esse solet πρατῆρες — ulla femina reperitur. Quae si cui omnino carere fideiubendi potestate videntur: Thanubi quaedam in Aegypto ante Christum natum — nec

[1]) Notices et extraits N 7: cfr supra p 13.
[2]) cfr infra p 22 sqq.

enim accurati quicquam constat de tempore — fideiubet pro Dorione publicano [1]: atque cum nec ille solvere nec ipsa possit, Zoïs filia suscepta matris fideiussione hortum oppigneratum possidit, cum mater se expedituram polliceatur, quanto minus pretium horti sit. Quem sub hasta venditum Zoïs cum retineat, sese ut singulis pensionibus exsolvat pecuniam obligat. Ac solutae pensiones memorantur. Tutoris nulla mentio fit, nisi forte in extrema parte mutilata, quam Peyron ita legit:

Χρυσιππος ἐπακολου χδυαλ κδυο τετκις τεσσακοσει ····/ κ β ΄Δ υ κ ϛ/ L λ α φαρμου ϛ.

et ita Italice vertit:

„Io Crisippo acconsento: in rame permutabile talenti due e dracme quattromille quattrocento ventisei, dico tal 2, 4426$\frac{2}{3}$. Anno 31. Farmuti 6."

nisi forte in hac parte tutor intellegendus erit. Sed illam unam ob causam fideiubere mulieres vetari consentaneum, quod levius saepe magni aliquid pollicitae damnum sibi inferant, cum promisso stare cogantur. Tolli hoc aut minui periculum nonne videtur, si tutori sit auctoritas interponenda? Quae cum ita res se habeat, contendere audeo omnibus in civitatibus Graecis per leges fidepromittere feminis licuisse, ita tamen ut auctoritas tutoris hic quoque requireretur.

B. De negotiis quae cum diis ab hominibus fiant.

1. De consecrando.

Pro iis quae modo diximus dubitari non poterit, quin mulieri ne donare quidem liceat sine tutoris auctoritate nec inter vivos nec mortis causa [2]: semper enim idem timendum et maximo quidem opere his in rebus ne ut est infirma capiatur ab hominibus blandis. Attamen dis immortalibus et temporibus et locis omnibus suo iure consecrationes feminae facere videntur. Causa quae sit haud difficile intellegitur: cum omnino in rebus sacris com-

[1] A Peyron, Papiri Greco-egizi di Zoïde, Torino 1828.

[2] De testamentis mulierum infra vide p 52.

munia sunt viris et mulieribus iura — nam ad sacerdotia quaedam feminae perveniunt [1]) nec iurare vetantur [2]) — tum a religione illud abhorret impedire quo quis minus diis donarium det.

Unus exstat titulus Mylasius qui, cum consecrationem contineat, tutoris nomen exhibet:

Ἀρτεμισία Παμφίλου ἱέρηα Νεμέσεως μετὰ κυρίου τοῦ ἀνδρὸς Μενίππου τοῦ Μέλανος ἱερέως Πειθοῦς ἀνέθηκεν τό τε βῆμα καὶ τὸ ἄγαλμα καὶ τὰ σὺν αὐτῷ Νεμέσει καὶ τῷ δήμῳ. (Bull de corr hellén 1881, p 39.)

Neque vero omittendum videtur in mariti tutela hanc mulierem esse: nempe bonorum communione isti coniuges utuntur aut uxoris bona maritus administrat [3]): quodsi ipsa consecrare femina dicitur, Nemesi consecrat cuius sacerdotio praeest.

2. De manumittendo.

Servum manu mittere hoc est decedere de dominio suo: ne id quidem mulieres facere sine auctoritate tutoris posse consentaneum erat. At quamvis abundemus titulis undique depromptis, nunquam tamen mentio tutoris fit. De Atheniensium quidem et Ionicarum civitatum rebus prorsus nihil constat. In Delphicis autem manumissionum titulis, quorum maximus numerus est, omnium primus Augustus Boeckh tutoris nomen desiderare videtur, cum in CI I 1710 post verba

Νεικασὼ Σωσύλου διὰ τοῦ προνοοῦντος αὐτῆς Λαΐδα τοῦ . . . . . .

lacunam ita expleat: ἀνδρός. Verum et novi aliquid inauditique statuere per coniecturam dubitare debebat nec de tutela mulierum usurpari potest προνοεῖν, quod glossema Hesychius voce ἐπιμελεῖσθαι explicat: ἐπιμελητής autem curator minorum est. Sed haec inscriptio longe inter Delphicas recentissima aetatis existimatur Vespasianae, cum ceterarum pleraeque saeculo a C altero [4]) exaratae sint: atque ipse ille Vespasianus fine Graecorum liber-

---

[1]) cfr p 3. — [2]) cfr infra p 69.

[3]) velut in titulis manumissionum Boeoticis: vide infra p 44.

[4]) duae etiam tertio exeunte: Wescher et Foucart N 407. 387; cfr Aug Mommsen, Philologus 1866 XXIV p 1 sqq.

tati facto provinciam senatoriam denuo instituit[1]. Quae cum ita res se habeant, Laïdam impuberis feminae curatorem, post τοῦ autem nomen patris scriptum fuisse putabimus. — Deinde Meier cum de Ernesti Curtius Anecdotis Delphicis iudicium faceret[2], illa verba συνευδοκοῦντος τοῦ δεῖνος, cum femina manumissor est, ad tutorem rettulit, quae aliter alibi intellegenda viderentur. Etiamsi latius patet id συνευδοκεῖν, in multis tamen titulis Delphicis manumissori feminae vir nullus adest nisi auctor secundus atque testes: velut W & F 60, 102, 110, 115, 132, 147, 259. — Hoc Caillemer secutus[3] semper in iis manumissionibus tutorem interposuisse auctoritatem contendit: quam cum utique per leges necessariam esse constet, in titulis nimirum omitti. Praeterea silentio posse auctoritatem interponi: quod quidem statuit quotiescunque aut maritus aut homo genere proximus inveniatur συνευδοκῶν: nec vero tutorem minus audiri vult, cum iussu quis mariti βεβαιωτήρ exsistat (κελεύσαντος τοῦ δεῖνος) velut W & F 120, 236. Ceterum intellegi auctoritatem potuisse aut ex ipso adventu cuius mentio non fiat aut ex litteris tutoris allatis. Satis esset probabilis haec sententia, si de paucis ageretur iisque Delphicis tantummodo titulis: at nemini persuadebitur primum in tanto mulierum quae Delphis manumittunt numero nomen κύριος semper quasi supervacaneum omitti, deinde mirum quendam in modum, ubicunque valet Graecum ius, hoc idem accidere. Atque Georgius Perrot, cum de Foucarti libello iudicum faciat[4], propterea non reperiri dicit in titulis Delphicis tutorem, quod aliae atque Athenis alibi leges statuendae sint. Quae de Lacedaemone verba fecit, Caillemer iam ista refutavit: firmissimo vero adversus Perrotum argumento titulis Boeoticis utor. In iis — illic enim servus deo gratis consecratur, non ut Delphis certo pretio venit — Caillemer tutorem agnoscit, cum feminae manumittenti propinquus dicitur adesse, sicut CI I 1608b:

Δεξίππα Ἀθανίου παρόντος αὐτῇ τοῦ ἀνδρὸς Σαμίχου τοῦ Φιλοξένου ἀνατίθησι,

---

1) Marquardt, De reip Rom administratione I p 174.
2) Allgem Litteratur-Zeitung 1843 December.
3) Le contrat de vente à Athènes II: Revue de législ ancienne et moderne 1873 p 6 sqq. — 4) Revue critique 1867 IV p 36 sqq.

et ibidem d: παρόντος αὐτῇ τοῦ υἱοῦ,
et ibidem e: παρόντος αὐτῇ τοῦ πατρός.

Nec vero ad tutelam hosce quicquam pertinere ex eo Thalheim iure efficit [1]), quod uno loco amici definite παρόντες appellentur [2]). Saepius nobis id occurrit. Quod autem item apud Boeotos mulieri etiam si consecrando servum manumittat, viro opus esse quasi advocato censet, aucta iam titulorum copia non solum interdum adesse quosdam viris manumissoribus docemur, sicut:

ὁ δεῖνα ἱαρὸς τοῦ Σαράπιος παρόντος αὐτῷ τοῦ ἱεράχου Ἀλίππου [3]).
Ἀριστοκλῆς κὴ Νικόστρατος Καλλικράτους κτλ παριόντος Ἀριστοκλεῖ τῶ ουἱῶ Καλλικράτιος κὴ συνευδοκίοντος [4]),
Θέων Σωμήλου Λεβαδεὺς παρόντος αὐτῷ τοῦ υἱοῦ Σάμωνος [5]):

verum etiam feminas interdum cum nemo adsit manumittere, cfr tum mutilatam illam quidem apud Larfeldum inscriptionem [6]) tum duas nuperrime publici iuris factas [7]):

· · · · ρὶς Ἀστίου ἀνατίθησιν et
Μηλὶς Φιλήμονος ἀνατίθησι.

Ex his efficere Perrot debet in Boeotia saeculis aC III. et II. tutelam muliebrem omnino non fuisse: quamquam Nicaretae titulus eiusdem temporis verba exhibet: παρόντος αὐτῇ κυρίου τοῦ ἀνδρός. Ergo probatum est ne apud Boeotos quidem feminae in manumissionibus aut tutore opus esse aut tamquam advocato.

Sed ut ad Delphicas res oratio revertatur, mulierum illarum maior esse potestas agendi Thalheimo videtur propter auctores secundos, qui bebaeoteres Graece nominati in una quaque venditione sacra legibus requiruntur: horum esse contra quemlibet defendere libertatem servi, etiam contra tutorem mulieris ipsum. Ceterum sicut antea iam Caillemer auctorem secundum saepe unum eundemque ac tutorem animadvertit velut maritum W & F

---

[1]) Antiqu forens p 9 adnot extr.
[2]) Larfeld, Syll inscr Boeot 31.
[3]) Ἀθήναιον IX, 358.
[4]) Larfeld p 51.
[5]) Preller, Berichte Leipzig Gesellsch d Wiss 1854.
[6]) 55 B. — [7]) Bull de corr hell 1884, 61 et 57.

115 (cfr 120), filios W & F 58. Addo patrem (W & F 259) et fratrem (Curtius, Anecd 32). Attamen ne Thalheim quidem noster satis nobis facit. Primum enim bebaeoter praestare contra tutorem legitime manumissionem non potest, cum optimo iure tutor, cuius ipse negotii auctor non fuerit, id improbet. Calymnae deinde in insula Dorica mulieres duae sine tutore manumittunt, cum auctoris secundi nulla mentio fiat:

Νείκη Μενεκράτου ἀνεκήρυξε τὴν ἰδίαν κτλ.[1])

Κλ Στεφανὼ Ἐπικτήτου ἠλευθέρωσεν κτλ καὶ ἀπέλυσεν τῶν ἀπελευθερικῶν δικαίων[2]).

Tum Dodonae alterius saeculi initio non solum titulum reperimus hunc:

Πολυξένα Τάγην ἀνατίθητι τῷ Δὶ καὶ χρήματα[3])

et similes huius, sed etiam alium[4]):

Ματυδίκα Πολύξενον ἐξεπρίατο ἀπὸ Δαμοξένας μνᾶς ἀργυρίου, μάρτυρες οἱ δεῖνα:

ubi negotium agnoscitur verum inter ipsas duas feminas ratum factum: Dittenberger ἐκπρίασθαι recte vertit ita: „pretio soluto liberare“, ac laudandus ille est apud Demosthenem locus[5]) ubi alius Atheniensis pro mancipio cum hero paciscitur Apollinis Delphici partibus susceptis. In tabulis denique Teniis eiusdem aetatis etsi tutores esse solent iidem πρατῆρες id est auctores secundi velut in v 22 sqq, reperitur tamen alius praeter auctorem secundum tutor: cfr v 111.

Quod nos de manumissionum titulis universis sentimus, id antea iam Paulus Foucart de solis dixit Delphicis[6]): manumittendi potestatem propterea feminae habent quod antiquitus in libertatem vindicari servus non poterat nisi alicui deo consecratus qui hierodulus fieret[7]): consecrare autem ipsi, ut supra vidimus, mulieri licet. Sacra forma ideo esse manumissionis prima videtur,

---

1) Journal of hellen stud II, 362.
2) Bull de corr hell 1884, p 44.
3) Bezzenberger, Beiträge III, 272 sqq.
4) Dittenberger, Syll inscr Gr p 632. — 5) c Neaer § 31.
6) Mém sur l'affranch p 5 extr.
7) Curtius, Anecd Delph p 10 sqq.

quod in titulis vetustissimis haec una nobis occurrit, et in illis ex templo Neptuni Taenario allatis [1]) et in eo qui Olympiae repertus est [2]). Gradus et quasi processus manumissionis RWeilio auctore [3]) ii sunt, ut venditio sacra medium teneat inter consecrationem illam, quae etiam altero aC saeculo Daulide Stiri Chaeroneae Coroneae invenitur, et manumissionem in contione renunciatam, in qua tamen tueri libertatem servi sacerdotes iubeantur praeter magistratus publicos: huc referendi duo illi Calymnaei tituli e ruinis templi Apollinei effossi.

Adversus Foucartum Perrot et Caillemer contenderunt Delphicum manumissionis genus [4]) etsi videretur consecratio, re vera tamen nihil differre a communi venditione: feminasque Athenienses ne illa quidem ratione manumittendi ipsas ius habuisse temere Perrot addidit. — Quis tandem etiam tertio alterove aC saeculo veram negat venditionem? saepissime vero principiis institutorum ea facile explicari quae mira postea videantur satis inter omnes constat [5]).

Eadem atque apud ipsos Graecos potestas in Iudaea nobis occurrit quae Panticapaei servum liberat anno pC LXXXI. Ianuario mense [6]):

Χρήστη, γυνὴ πρότερον Νικία τοῦ Σώτα, ἀφείημι.

Iudaei illi quamquam certe hanc manumittendi rationem a Graecis civibus sibi assumpsere [7]), tamen etiam in iure Iudaeorum Thalmudico suae potestatis his in rebus mulier est.

Contra papyrus ille nomine Bartianus, quo manumissio in Aegypto facta continetur anni pC trecentesimi quarti et quinquagesimi, haec verba exhibet [8]):

---

[1]) Roehl, IGA 83. 88. — [2]) ibidem 552.

[3]) Mitteil arrchäol Inst 1879 IV, 27.

[4]) Id genus etiam Tithorae reperimus: cfr Ulrichs Mus Rhen II 553, cuius tituli Nerviae sunt aetatis: et in Aetolia Arsinoae, cfr Mitteil archäol Instit 1883, p 341.

[5]) Potestate servi liberandi femina interdum — apud Boeotos quidem sine dubio — matrimonio inito privatur, cum uxoris fortunas maritus adminestret: de hac re postea videbimus, cfr p 44.

[6]) CI II, 2114 bb = Antiquités du Bosph Cimmér XXII.

[7]) M A Levy, Epigraph Beitr: Jahrb f d Gesch d Juden u d Judent 1861 II, 299. — [8]) Curtius, Anecd Delph extr.

Αὐρηλία μετὰ συνεστῶτος τοῦ κυρίου αὐτῆς ἀνδρὸς Αὐρηλίου Δωροθέου Σερήνου.

Romanum institutum statuit Adolfus Schmidt[1]: nam post imperatoris Caracallae tempora provinciales civitate donati cum iure Romano omnes fere usi sint, Aureliam tutoremque eius maritum peregrinos non videri nec Aegyptiacam quandam mariti tutelam agnoscendam, qualis apud Gaium mentio fiat Bithynicae. — Attamen in ipsa Italia iam idolatrarum Caesarum temporibus tutela muliebris levior facta post annum ducentesimum nonagesimum tertium nobis omnino non occurrit. Mirum mehercle foret si institutum illud vere Romanum apud Aegyptios Graeca lingua usos usque ad medium saeculum quartum servatum esset. Et cum temporibus illis ius Romanum in remotis imperii partibus confusum fuisse cum rebus barbaris nuper libro illo Syroromano cognoverimus: in manumissione Aegyptiaca tutelam Graecam video[2]. Non satis tamen exploratum est, cur tutor auctoritatem interponat: iterum Boeoticos titulos protulerim, ubi maritus fortunas uxoris administrare videtur: nisi forte in Aegypto tanto interiecto temporis spatio et origine manumissionis eius oblivioni data legibus tunc requirebatur auctoritas.

III. De iure familiarum.

A. De iure matrimonii.

1. De coniugio et divortio.

Uxores singulas universi Graeci habent: pelicibus uti legibus nullis vetatur. Iam in Homericis carminibus et materfamilias nobis occurrit una velut Od III, 451:

θυγατέρες τε νυοί τε καὶ αἰδοίη παράκοιτις
Νέστορος.

et usus concubinarum multis locis agnoscitur. Bimaritos postea fuisse duos homines constat: Anaxandridam Lacedaemonium qui cum sterilem uxorem exigere nollet ephoris auctoribus alteram

---

[1]) Forschungen I, 292 sqq.

[2]) Multum hoc loco Ferdinando Regelsberger debeo.

domum condidit [1]), et Dionysium illum Syracusanorum tyrannum de quo Aelianus [2]):

ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ δύο γυναῖκας ἠγάγετο Διονύσιος Δωρίδα τὴν Λοκρίδα καὶ Ἀριστομάχην τὴν Ἱππαρίνου Δίωνος δὲ ἀδελφήν.

Apud Athenienses etiam legis in summa penuria civium olim latae verba haec sunt [3]): γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. Fit autem Athenis matrimonium aut engyesi, cum kyrios mulierem rite viro plerumque dote constituta collocat [4]), aut epidicasia, cum hereditariam filiam archon proximo addicit genere [5]). Legitimum filium cum viri docti neminem adhuc crediderint nisi ex matre natum et cive [6]) et rite collocata, Buermann primus Demosthenis et Isaei orationibus usus [7]) Athenis legibus demonstravit concubinatum quendam ita sancitum fuisse ut legitimi liberi evaderent. Sequuntur Philippi [8]) et Gilbert [9]): repugnat Caillemer [10]), qui bene depromit illud Demosthenis [11]): τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. Ab uxore igitur sola liberos legitimos procreari. Quid tandem hoc loco illi viri docti facient? Differentiae quidnam inter uxorem intercederet et pelicem? Contra e verbis Demosthenis: ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν

---

1) Her V, 40: μετὰ δὲ γυναῖκας ἔχων δύο διξὰς ἱστίας οἴκεε ποιῶν οὐδαμῶς Σπαρτιητικά.

2) VH XIII, 10.

3) Diog Laert II, 26.

4) Spartae quoque engyesin fuisse dicit Jannet p 106.

5) Tum engyesin ab eodem archonte factam Gilberti sententia est p 181 adnot 3.

6) Civitas uxoris post Solonis demum tempora videtur requiri: Megacles quidem duxit Alcmaeonida filiam Sicyonii Clisthenis Atheniensium iure, cfr Her VI, 130: τῷ δὲ Ἀλκμαίωνος Μεγακλεῖ ἐγγυῶ παῖδα τὴν ἐμὴν Ἀγαρίστην νόμοισι τοῖσι Ἀθηναίων.

7) Jahrb f Philol (Nov Ser) IX. Suppl. – cfr Dem or 39 & 40, Isae or 3 & 6.

8) Jahrb f Philol 1879, p 413.

9) l l p 182.

10) Daremberg & Saglio, Dict des antiqu p 1434.

11) c Neaer § 122.

ἔχῃ κτλ [1]) videtur effici concubinatus quoddam genus ipsa lege sanciri. Adhuc sub iudice lis est. Sed utcunque res se habet difficillima, parum putabatur honestum pelicem praeter uxorem habere [2]). — Cum antiquissimis temporibus pater filiam viro vendat ad arbitrium certo pretio [3]), ne postea quidem filiabus patres in conciliandis matrimoniis morigerari videntur: hoc tamen in dubio versatur, num vi invitam filiam cogendi legitimam potestatem pater habuerit, nisi forte quid ex eo licet efficere quod discedendi a marito ius in nonnullis civitatibus uxor habet.

Post mortem mariti vidua Athenis ad tutorem redit hoc est in suam ipsius familiam: gravidae et liberorum matri permanere licet in domo mariti [4]). Apud Laceedaemonios quoque vidua, posterioribus saltem temporibus, in suam familiam redit [5]).

Divortii autem faciendi primitus in Graecia sine dubio velut apud Iudaeos solus maritus potestatem habebat: idem Romae antiquitus fuisse testis Plutarchus est [6]). Paulatim uxori, quae defenderetur adversus malum coniugem, potestas illa fieri coepta est, velut de Charondae legibus memoriae Diodorus prodit [7]) δεύτερος δὲ διωρθώθη νόμος ὁ διδοὺς ἐξουσίαν τῇ γυναικὶ ἀπολύειν τὸν ἄνδρα καὶ συνοικεῖν ᾧ ἂν βούληται. Athenis marito divortii causas apud archontem profitendas fuisse nusquam traditur, etsi publice curari aliquo modo divortia videntur ex Poll III, 7: ὥςπερ νόμῳ συνίσταται γάμος, οὕτω καὶ διαλύεται. Ac ne levius uxores repudiarentur, maritus aut reddere dotem aut XVIII eius in singulos annos centesimas solvere praetereaque sua pecunia exactam alere debebat [8]). Uxori quoque discedere licet a ma-

---

[1]) XXIII, 53: vide infra.

[2]) μὴ ὀρθῶς διεπράξατο: Dem XL, 5. cfr Ter Phorm 957 & 1007: peccatum, facinus indignum et malum.

[3]) Aristot Pol II, 8 p 1268b 39. Adulterio ab uxore commisso pretium reposcitur cfr Hom Od VIII, 318. Nonnunquam pater etiam ultro filiam et gratis offert genero.

[4]) Dem XLIII, 75: τῶν γυναικῶν ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν.

[5]) Jannet p 107. — [6]) Plut Rom 22.

[7]) Diod XII, 18.

[8]) Dem c Neaer p 1362: ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μή, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικός τῷ κυρίῳ.

rito[1]: ab ipsa tamen archonti de divortio litterae sunt accipiendae[2], id quod pro moribus et disciplina mulierum Graecarum haud parvi aestimabimus. Quodsi Lacedaemone velut Athenis marito arbitratu suo uxoris repudiandae potestatem fuisse Jannet p 106 arbitratus Herodoti narratiunculam laudat VI, 62: Agetus ille quodam iureiurando adstringitur, ut uxorem Aristoni tradat[3]; attamen Aristo suo arbitratu abigere uxorem alteram videtur, nempe alius amore inflammatus (c 63 init). — Sterilem uxorem nimirum abigere licuit, si quidem omnino recte studium familiae conservandae in legibus et disciplina Graecorum cognoscitur. Contra apud Cretes nimiae prolis spes marito causae divortii faciendi erat[4].

Altera iusta divortii causa adulterium fuit. Attamen cum nos pro communi quae de vi matrimonii est sententia adulterium a marito non minus quam ab uxore fieri vetemus, apud veteres universos velut Iudaeos adulterii ratio non habebatur nisi commissi ab uxore: et ab hac et a moecho supplicium sumebant. Draco iam Athenis permisit, ut maritus adulterum in ipsa culpa deprehensum necaret: qui tamen, ne infamia notaretur, uxorem repudiare debuit: ac de adultera leges erant gravissimae, velut a sacris semper prohibebatur[5]. Huic abactae uxori ne dotem quidem restitui veri simile est. Quod apud Plutarchum[6]) legitur lex Solonis:

ἂν ὁ κρατῶν καὶ κύριος γεγονὼς τῆς ἐπικλήρου κατὰ τὸν νόμον αὐτὸς μὴ δυνατὸς ᾖ πλησιάζειν, ὑπὸ τῶν ἔγγιστα τοῦ ἀνδρὸς

---

[1]) Leg Seguer p 421: ἀπολείπει μὲν ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα, ἀποπέμπει δὲ ὁ ἀνὴρ τὴν γυναῖκα.

[2]) Plut Alcib 8: δεῖ τὸ τῆς ἀπολείψεως γράμμα παρὰ τῷ ἄρχοντι θέσθαι μὴ δι᾽ ἑτέρων, ἀλλ᾽ αὐτὴν παροῦσαν.

[3]) P Thomas, Revue de l'instr publ en Belg XXIII, 266.

[4]) Aristot Pol II, 7, 5.

[5]) Dem c Neaer p 1347: ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰςιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ᾽ ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δὲ εἰςίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅτι ἂν πάσχῃ πλὴν θανάτου. Eadem fere lex Solonis apud Aeschinem est in oratione Timarchea § 183.

[6]) Plut, Sol 20.

ὀπυίεσθαι. μὴ πᾶσι δέ, ἀλλὰ τῶν συγγενῶν τοῦ ἀνδρὸς ᾧ βούλεται διαλέγεσθαι τὴν ἐπίκληρον ὅπως οἰκεῖον ᾖ καὶ μετέχον τοῦ γένους τὸ τικτόμενον:

Atheniensia instituta Lacedaemoniis confundi videntur[1]. Lycurgus enim quasi comprobasse fertur adulterium, dummodo boni nascerentur cives rei publicae[2]. — Athenis non solum ad ipsam uxorem, sed etiam ad concubinam pertinere nomen adulterii ex oratione Demosthenis Aristocratea p 637 efficitur:

ἐάν τις ἀποκτείνῃ κτλ ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.

Zaleucus is qui Locris leges dabat, oculos erui moechis iussit[3]. Charondas auctore Diodoro (XII, 12) utrumque sontium iniuriis vulgi et ludibrio concessit. Et Cumae et in Pisidia in asinis adulteri per urbem vehebantur[4]. Leprei virum vinctum tres dies per urbem rapiebant, cum mulier per undecim in foro nuda sederet[5]: infamia utrique irrogabatur. Gortyne in oppido Cretico viri solum quae fuerit poena traditur[6]. Tenedi et uxorem et moechum securi percutiebant[7]. — Maritus in uxorem perfidus, ut supra diximus, apud Graecos nihil dabat poenarum. Ac ne hoc quidem constat, num ex eo facinore licuerit uxori divortium facere, quamquam iusta causa videbatur, si contra naturam ille libidinibus indulgebat[8].

2. De dote et de bonis uxoris propriis.

Primitus cum pater pretium pro filia a genero acceptum ipse retineret, paullatim haec pecunia novae nuptae reddi coepta est

---

1) Wachsmuth, Hellen Altert § 103, 20. Daremberg & Saglio, Dict p 84.
2) Plut, Lyc 15. Xen, Resp Lac 1.
3) Val Max VI, 5. Ael VH XIII, 24. Lycophr Cass 421.
4) Stob Flor XLIV, 41. Plut Qu Gr 2. Hesych 'Ονοβόστυδες.
5) Heracl Pont XIV.
6) Ael VH XII, 12; XIII, 24. Steph Byz Τένεδος. Diogenian Prov VIII, 58.
7) Lys Eratosth 34 & 50. Xen Hier III, 3. Stob Serm VI, 25.
8) Diog Laert IV, 17.

ac postea pater ultro de sua re familiari aliquid adiecit[1]: quod additamentum mansit dosque facta est, cum illius pretii nemo iam Graecorum meminisset. In Homericis carminibus vox τὰ ἕδνα et de donis patri datis usurpatur[2]) et de dote novae nuptae a patre constituta[3]): praeterea a procis virgines accipere ἕδνα plerumque videntur[4]). Constituitur autem dos uxori et hereditatis loco, quae quidem ab intestato ad mulieres non pervenire solet[5]), et ad onera matrimonii sustinenda[6]).

Athenis dotem legibus requiri — id quod Desjardins negat — contendunt Bunsen et Gide et Barrilleau[7]). Hic tribus causis utitur, quarum duae ad res Atheniensium pertinent: neutra tamen probatur. Solonis laudat legem qua archon iubeatur proximos genere publice ut dotent filiam orbam cogere. Fortiore ratione

---

[1]) cfr Hom Il IX, 147:
τάων ἥν κ' ἐθέλησι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω
πρὸς οἶκον Πηλῆος· ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω
πολλὰ μάλ' ὅσσ' οὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε θυγατρί.

[2]) Il XVI, 178:
ὅς ῥ' ἀναφανδὸν ὄπυιε πορὼν ἀπερείσια ἕδνα.
Od VIII, 318:
εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα.

[3]) Od I, 277 et II, 196:
οἱ δὲ γάμον τεύξουσι καὶ ἀρτυνέουσιν ἔεδνα.

[4]) Od VI, 159:
ὅς κέ σ' ἐέδνοισι βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται.
cfr omnino Jannet p 108.

[5]) Antiqu for p 66.

[6]) Apud Germanos nuptae nihil datur a parentibus nisi vestimenta et supellex quaedam, cum maritus ei dotem sive nuptiale munus constituat, ut viduae rebus sit prospectum (Laband p 182). Nec minus marito in Thalmudico iure donatio propter nuptias imperatur כְּתוּבָּה ut prospiciatur viduae: summa legibus designatur, quam tamen superare licet. Et virgo quidem plus quam vidua accipit propterea quod huic prospectum esse iam oportet a priore marito. Ceterum ne dotis quidem nomen apud Iudaeos inauditum est (Franck, Législ civ du Talmud: Journ des Sav 1874). Quod matrimonium aliqua re mulieri a marito data iustum fit, emptionis reliquias agnoscimus.

[7]) Bunsen, De iur hered Athen. Gide p 91: „Pour mieux assurer l'individualité de la femme mariée, la loi grecque lui assigne une dot et organise le régime dotal avec une sagesse etc.“ Barrilleau, De la constit de dotdans l'anc Grèce: Nouv rev hist de droit VII, 153.

censet ipsum patrem dotem comparare debuisse. Ea lex quamquam memoriae proditur, his tamen verbis scripta est:

Τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους, ἐκδιδότω ἐπιδοὺς ὁ μὲν πεντακοσιομέδιμνος πεντακοσίας δραχμάς, ὁ δὲ ἱππεὺς τριακοσίας, ὁ δέ ζευγίτης ἑκατὸν πεντήκοντα, πρὸς οἷς αὐτῆς. ἐὰν δὲ πλείους ὦσιν (ἄνδρες) ἐν τῷ αὐτῷ γένει, τῇ ἐπικλήρῳ πρὸς μέρος ἐπιδιδόναι ἕκαστον. ἐὰν δὲ γυναῖκες πλείους ὦσι, μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ γ' ἐνί· ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγυτάτω γένους ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν ἢ ἐκδοῦναι. ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάσῃ ὁ ἄρχων, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ [1]).

De epicleris agitur pauperibus: quibus certa dos requiritur, ut sit qui eas ducat neve nomen familiae deleatur. Verum pecunia iis data non tam dos (προίξ) habenda est quam patrimonium (κλῆρος) nec ratiocinari possumus quid iudicandum sit de ipsa dote et de filia cui nomen est ἐπίπροικος. Alterum locum laudat Barrilleau Dem XL, 22 et 24, ubi iudicibus probare quidam studet matrem suam cum nuberet dotem habuisse: patre eam divite natam honestoque dicit. Porro apud Isaeum [2]) ei qui petit explicandum videtur quo pacto factum sit ut ditissimi civis filia tam modice dotaretur. At ex neutro loco nobis quidem licet efficere quicquam, cum morem fuisse filiae dotandae nemo neget. Iusto igitur iure Thalheimo omnibus locis respectis dos ipsa non posse in iudicio peti apud universos Graecos videtur [3]). Nec Ephesi in urbe Ionica legitima dos est statuenda: legis enim circa annum aC octogesimum tertium datae, cuius exstat titulus, verba [4])

ὅσοι δὲ φερνὰς ὀφείλουσι θυγατρίοις ἢ ἀδελφαῖς ταῖς αὐτῶν μεμερικότες ἐκ τῆς πατρῴας οὐσίας

[1]) Dem XLIII, 54. cfr Diod XII, 18 de Charondae lege Thurina: ὡςαύτως δὲ καὶ τὴν ἐπίκληρον ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγχιστεῖ, ᾧ ἣν ἀνάγκη συνοικεῖν ἢ πεντακοσίας ἐκτῖσαι δραχμὰς εἰς προικὸς λόγον τῇ πενιχρᾷ ἐπικλήρῳ. Ceterum vide I I p 195.

[2]) Isae or VIII.

[3]) Antiqu for p 66: cfr Meier & Schoemann, Att Proc p 415. Schoemann ad Isae p 233. Gilbert p 182.

[4]) Dittenberger, Syll 344 v 55.

bene Thalheim ad eam dotem quae promissa debeatur refert cum pro ipso officio patris vel fratris fiducia esse nequeat[1]: et Dareste errat et Barrilleau. Et Teniis et Myconiis quae de dotibus datis tabulae publice sunt confectae hoc unum docemur ex collata dote lites facile oriri. Quod de Massiliensibus Phocaeorum colonis Strabo IV, 181 § 5 scribit:

ἡ γὰρ μεγίστη προὶξ αὐτοῖς ἐστιν ἑκατὸν χρυσοῖ καὶ εἰς ἐσθῆτα πέντε καὶ πέντε εἰς χρυσοῦν κόσμον, πλέον δ' οὐκ ἔξεστι:

ex hac lege minime efficitur aliam quoque ne dos minor conferretur fuisse: immo vero studium illud quod in veteribus est rei familiaris quam maxime conservandae agnoscemus. Haud scio an eadem ratione intellegendum illud Ephori sit apud Strabonem X, 482 § 20: φερνὴ δ' ἐστίν (sc in Creta), ἂν ἀδελφοὶ ὦσι, τὸ ἥμισυ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ μερίδος: quamquam hic significari potest usus in quo nulla insit legis vis. Atque utut res se habet, cum Aristotele auctore[2]) Cretes forma reipublicae utantur Lacedaemoniae simillima, Spartae autem dotes antiquitus quidem omnino non conferri constet[3]): morem proprie Doricum ne illum existimemus cavendum est. Lesbiis Berenice de dote legem fertur dedisse, qua scriptum erat, si dote constituta ante collocatam filiam pater obisset, ut in iudicio dotem petere liceret: de officio dotandi nihil dicitur[4]).

Pater scilicet plerumque dotem confert, post huius mortem frater virginis, viduae autem aut filius ut in titulo illo Tenio extremo[5]) aut is qui tutelam habet.

---

[1]) Antiqu for p 144. Dareste, Une loi Ephés: Nouv rev hist de droit I, 171 sqq. Barrilleau p 154.

[2]) Aristot Pol II, 7, 1.

[3]) Ael VH VI, 6: νόμος ἔστι τοῖς Σπαρτιάταις κτλ· γαμεῖν δὲ ἀπροίκους ἔτι. Justin III, 3: „virgines sine dote nubere iussit (sc Lycurgus) ut uxores eligerentur non pecuniae.“ Attamen postea dotes etiam permagnae dantur cfr Aristot Pol II, 6, 11. O Müller, Dorier[2] II, 192.

[4]) Hyg Astron XXIV: „Eratosthenes autem dicit et virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo solverit iussisse reddi et inter eas constituisse petitionem.“ A matre dos apud Lesbios ut apud Aegyptios dari Bachofeno videtur (Das Mutterrecht).

[5]) ὁ δεῖνα ἐπέδωκε τῷ δεῖνι Ἀριστοκράτους Γυραεῖ ἐπὶ Νικησόλῃ τῇ μητρὶ τῇ αὑτοῦ κτλ.

Constare potest aut argento dos mobilibusque bonis aut fundis: etsi antiquitus nescio an nihil conferri licuerit nisi vestimenta et mundum muliebrem minoris pretii, si quidem recte Télfy locum Plutarchi ad eas filias refert quae non hereditariae sunt [1]: τῶν ἄλλων γάμων μὴ εἶναι φερνάς, ἀλλ' ἱμάτια τρία καὶ σκεύη μικροῦ νομίσματος ἄξια, ἕτερον δὲ μηδὲν ἐπιφέρεσθαι τὴν γαμουμένην.

Dotem Athenis in matrimonio cum rebus mariti in unum coire arbitratur Desjardins ita ut cum his una publicetur: dotalis fundi maritum liberam habere potestatem ex Isaei or V. efficit. Contra Dareste bonorum dotalium possessionem uxoris semper esse nec maritum habere nisi usum et fructum in matrimonio, quo sumptus cotidianos suppeditet. Ac ne abalienare quidem, inquit, dotalia bona marito licet quippe qui non sit possessor. Uxori tutoris interposita auctoritate id licere veri simile, etsi testimoniis caremus [2]. Haec sententia, quam Barrilleau p 163 et Thalheim p 66 sequuntur, recta videtur cum fiduciam dare maritus pro dote debeat. Abalienandi tamen bona dotalia potestatem uxor ne tutoris quidem qui ea contulit auctoritate interposita habet nisi annuit maritus, cuius conservari dotem multum intersit. Atque in publicationibus uxor velut creditores ceteri ius interveniendi habet [3]. Quidcunque ἀτίμητον maritus accepit praeter illa τὰ ἐν προικὶ ἐντετιμημένα, in omne tempus ipsi manet [4]. Maritus debet post uxorem mortuam filiis dotem reddere ubi primum sui iuris esse coeperunt [5]. Si mariti mortui filiis relictis ad tutorem vidua revertitur, dos redditur: sin autem in domo mariti manet, bona dotalia ad filios perveniunt [6] qui matrem alere debent. Prior si uxor moritur, dos aut ad filios pervenit aut ad tutorem. Pro pecunia dotali maritus fundum pignori

[1] Plut, Sol 20. Télfy, Corp iur Att, adnot ad 1359.
[2] Droit civ athén p 625.
[3] Antiqu for p 110.
[4] ib p 66 adnot 3 extr.
[5] Dareste p 625. Antiqu for p 68 adnot 1.
[6] Dem XL, 59: περὶ προικὸς ἣν ἐπενεγκαμένης τῆς μητρός οἱ νόμοι κελεύουσιν ἐμὲ κομίζεσθαι.

obligabat [1]), de qua re exstant tituli complures [2]). Mulieri semper fundus dicitur oppigneratus velut: ὅρος οἰκίας ἐν προικὶ ἀποτετιμημένης HHH Ἁγνοκλείᾳ, cum tutorem requiramus qui collatam dotem recepturus sit: vide contra Harpocrationis s v ἀποτιμηταί verba: εἰ γυναικὶ γαμουμένῃ προῖκα ἐπιδιδοῖεν οἱ προςήκοντες, αἰτεῖν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ὥςπερ ἐνέχυρόν τι τῆς προικὸς ἄξιον οἷον οἰκίαν ἢ χωρίαν. Illius moris causa videtur ea quod, cum titulus exaretur, nemo scire potest ad quem olim dos sit perventura. Quodsi Dareste p 626 pignus cedi posse ab uxore contendit, auctoritas illius tutoris sine dubio opus est. Dotem divortio facto maritus reddere debet aut XVIII eius in singulos annos persolvere centesimas [3]): si autem uxor propter adulterium repudiata est, Schoemanno et Caillemero auctoribus dos non restituitur [4]).

In ceteris civitatatibus Graecis prorsus eadem reperimus instituta: quamquam de Ionicis tantummodo exstant testimonia. Teniae tabulae sunt, quibus dotium datarum summae oppigneratique a maritis fundi continentur. Titulo, quem Pittakis vetustiorem negat Romanorum temporibus, Teni quoque restitui dotem debere discimus [5]). Haec fere semper verba leguntur: ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι ἐπέδωκεν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ τῇ αὑτοῦ δισχιλίας δραχμάς, ὁ δὲ δεῖνα ἀπετίμησε πρὸς τὴν προῖκα τὰ χωρία. In alterius tituli Tenii de quo supra verba fecimus [6]) v 116 uxor fundi venditionem quae fit a marito comprobat fiducia pro dote sine dubio accepta: mirum quendam in modum maritus ipse unus auctoritatem feminae interponit, non tutor ille qui dotem antea dedit: attamen uxoris pater cum eius patruis auctoris secundi munere in venditione fungitur:

Θεσπιεὺς καὶ Ἀριστῶναξ καὶ κοινὸν τῶν Θεοξενιαστῶν παρ' Ἀρτυμάχου κτλ συγχωρούσης καὶ συνεπαινούσης Μαντῶς Δημο-

---

[1]) Poll VIII, 142. Bekker, Anecd Gr p 200; 201; 423; 437.

[2]) CIA II, 2 N 1105; 1109; 1113; 1124; 1128; 1132; 1142; 1150; 1152. Mitteil d archäol Inst II, 277.

[3]) Dem LIX, 52.

[4]) Schoemann, Antiqu Gr I³ 533; cfr Hermann, Ant priv² § 30, 18. Caillemer, La restit de la dot p 27. Daremb & Saglio, Dict p 84.

[5]) CI II, 2338b — [6]) vide p 15.

κρίνου ἐκ πόλεως μετὰ κυρίου Ἀρτυμάχου Ἀριστάρχου· πρατῆρες Δημοκρίνης Δημονίκου, Δημόνικος Θεόφρων Δημονίκου.

In Myconiis de collatis dotibus tabulis [1]) tertio aC saeculo confectis cum argentum reperimus tum res mobiles, quarum non minus videlicet pretium restitui necesse est. Velut Sostratus archon Xanthae filiae in dotem MC drachmas dat et vestimenta quae ducentarum constant. Fundi quoque nobis occurrunt. Ctesio quidem filiae Hermoxenae, cum nubat Hieronidae, drachmas confert MDC et domum et ancillas duas. Soror autem Tharsagorae nomine Panthalis, quae collocatur Pyrraco, domum in dotem ea condicione accipit ut fratri ipsi ne viventi adimatur. Cum pretium aedificiorum non dicatur, eas abalienare intellegimus non licere [2]). Eadem ratione servi, si pretium eorum morbo vel senectute est minutum, qualescunque reddi videntur, cum Barrilleau p 167 Gaium secutus et Ulpianum utique censeat haec: „Si les effets mobiliers étaient choses fongibles, le mari en devenait propriétaire, qu'ils fussent ou non estimés. Il pouvait consommer ou aliéner durant le mariage, à la charge du rendre à la dissolution le prix de l'estimation, ou bien, à défaut d'estimation, même quantité, qualité et valeur. Le droit de la femme se convertissait en une créance dotale et l'on appliquait les mêmes règles que si la dot eût consisté en argent". Callippi res non omittenda est: is Aristolocham filiam archonti Sostrato collocans cum in dotem XIV milia drachmarum conferat, sex et quadringentas addit usuras a Sostrato acceptas [3]). Otto Lüders in Hermae VIII. volumine Myconi a genero semper certam et legitimam usuram dotis socero existimat reddi: at Barrilleau p 174 usuras per omne matrimonii tempus exsolutas cogitari non posse demonstrat. Duas ipse sententias affert, quarum prior haud difficile probatur: deberi Callippo iam antea a Sostrato XIV

[1]) Bull de corr hell VI, 590 = Hermes VIII, 191 = Dittenb, Syll p 624.

[2]) cfr Ulp L X § 1 Dig de I dot 23, 3: „Si praediis inaestimatis aliquid accessit, hoc ad compendium mulieris pertinet, si aliquid decessit, mulieris damnum est."

[3]) ἀπέδωκε δὲ καὶ τετρακοσίας ἓξ τὸν τόκον ὃν ἔλαβε παρὰ Σωστράτου τῇ προικί.

milia drachmarum, cuius summae usque ad nuptiarum diem usuris sex et quadringentas drachmas effici, quas iam solvit gener. Occurrunt enim nobis hic XIV milia, cum ceteris locis nec minus septingentis nec MDC plus drachmis dari videamus: ac ne in Teniis quidem tabulis plus duo milia drachmarum reperiuntur. Altera sententia haec est: dotem iam ante nuptias genero datam usque ad eum diem mutui loco fuisse, cuius usurae solverentur. Tum autem illud Atheniense ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν [1]) recordati a collata inde dote usque ad nuptiarum diem duos menses praeterisse statuemus: anni si intervallum esset, non plus solverentur quam senae in singulos annos centesimae. — Qui ab insula Syro titulus est allatus [2]):

Ἡγησοῦς τῆς Κλεομβρότου θυγατρὸς προὶξ τὸ χωρίον:

non ad fiduciam eum necesse referri, sed in dotem ipsa domus fortasse data fuit. — Fundos in dotem oppigneratos in Amorgino titulo agnoscimus [3]):

[Ὅρος οἰκιῶν καὶ κήπων τῶν πρ]ὸς ταῖς οἰκίαις τῶν ἀποτετιμημένων Νικησαρέτῃ εἰς τὴν προῖκα, καθιερωμένων καὶ ἀνακειμένων τῇ Οὐρανίᾳ Ἀφροδίτῃ τῇ ἐν Ἀσπίδι ὑπὸ Νικησαρέτης τῆς γυναικὸς τῆς Ναυκράτους καὶ κατὰ τὰς διαθήκας τὰς κειμένας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀφροδίτης καὶ παρ' Εὐνομίδῃ τῷ ἄρχοντι καὶ παρὰ τῷ θεσμοθέτῃ Κτησιφῶντι.

Aedificia illa post mariti mortem ad uxorem pervenisse videntur [4]). In altero titulo [5]) Nicerati uxorem putamus Hegecratam: huic fundi qui nunc veneunt in dotem sunt oppignerati, kyrios autem is dicitur qui dote collata iam de iure suo cedit. Ab hac sententia minime tertius titulus abhorret [6]): quo loco utut singulae res sese habent, Xenocles pro erano ab Aristagora collecto fideiussor fiduciam est daturus, et cum fundi iam uxori sint in

---

[1]) vide supra p 36.

[2]) CI II, 2347 i.

[3]) Ross, Inscr II, 126 = Dittenberger Syll 437. cfr Dittenberger in Hermae vol XVI, 200.

[4]) vide infra p 53.

[5]) Dittenberger, Syll 438; cfr Dareste, Nouv rev hist de droit VIII, 391 et supra p 9 et infra p. 51.

[6]) Ἀρχαιολ ἐφημ 1862; vide supra p 9.

dotem oppignerati, et uxor et kyrios ille de iure suo cedunt. — Ephesi nonnunquam divortio facto dotem ex lege non restitui docemur tituli [1]) versu 59: ἢ γήμαντες καὶ διαλυθέντες μὴ ἀποδεδώκασι τὰς φερνὰς οὔσας ἀποδότους κατὰ τὸν νόμον. Sicut dos adulterae non restituitur, cfr Ach Tat VIII, 8: δεύτερος δὲ ἔστι μοι πρὸς Μελίττην μοιχείας ἀγὼν κτλ. Ἂν τοίνυν τοὐναντίον (i. e. si condemnetur), τὴν μὲν κατὰ τὸν νόμον ἀφεῖσθαι τῆς προικὸς φημὶ δεῖν ἐμοί, τὸν δὲ ὑποσχεῖν τὴν ὀφειλομένην τοῖς μοιχοῖς τιμωρίαν. — In testamento Aristotelico [2]) legitur scriptum ut Herpyllidi quoque, quacum vixerat philosophus, tutores prospicerent et Nicanor: ac si nuptura iterum esset, dos daretur talentum argenti ex hereditate cum tribus ancillis et pueris duobus: praeterea si Chalcide vellet habitare, cum horto aedificium, sin autem Stagirae, domus patria instructa omni suppellectili. Sed istam cum Aristoteles duceret dotatam fuisse minime constat, quae concubina potius videtur [3]): patriam illam domum a patre suo Aristoteles accepit. Accedit quod ne hoc quidem habemus exploratum, ad cuius rei publicae ius testamentum referendum sit: nam et Stagirae patriae coloniae Chalcidensis civem Aristotelem fuisse notum et ipsius Chalcidis, Athenarum non ita. — In Aegypto cum ante tempora Macedonum liberior esset mulierem condicio civilis universa, ab altero inde saeculo ius dotium ita immutatur, ut a marito dos administretur, etsi propria uxoris manet. In tabellis dotalibus illius temporis [4]) scriptum invenimus ut maritus si officia sua non praestaret dotis summam dimidiamque redderet: non tamen uxor dicitur ab eo discessura. Anno pC LXVIII. procurator Romanus renovata lege Augustea edixit ut dos mulierum Aegyptiarum a maritorum creditoribus tuta esset [5]).

Matrimonio inito retinetne mulier rem suam familiarem? potestne sibi ipsi aliquid acquirere? Primitus communio bonorum

---

[1]) Dittenberger, Syll 344. — [2]) Diog Laert V, 11.

[3]) Alia est sententia Brunsii: Die Test d griech Philos, Zeitsch d Savigny-Stift Rom Abt I, 1 sqq. cfr Schulin, Das griech Test vergl mit d röm p 27 et infra p 61.

[4]) Notices et extraits XVIII, 2 N 13: ἐὰν δὲ μὴ ποιήσῃ καθότι γέγραπται, ἀποτίνειν αὐτὸν τὴν φερνὴν παραχρῆμα σὺν τῇ ἡμιολίᾳ.

[5]) Dareste, Journ des sav 1883, p 170.

ubique fuisse videtur ut ad maritum omnia pertinerent: ac paulatim cum liberior evasisset condicio mulierum, etiam in matrimonio uxor sua habere coepit[1]), cum ab Aristotele Plutarcho Stobaeo omnium bonorum communio diligentissime commendetur[2]). Missas facio epicleros Atticas, si quidem filiis non adultis utrum ipsae an mariti bona possederint nihil constat: quamquam per se illud veri est similius. Thespiis circa annum aC ducentesimum Nicareta in matrimonio magnam ipsa pecuniam habet[3]). Idem inscriptionibus manumissionum Orchomeniis docemur velut:

Κλιὼ Δαφήνω κὴ Τιμὼ Μενεστράτω ἀντίθεντι κτλ· παρεῖς τῆ Κλιῶι φίλυ Καλοκλίδας Καλλιγίτονος, Μεν····· τῶ δῖνος, Καλλιγίτων Καλοκλίδαο κὴ τῆ Τιμῶι ὁ ἀνείρ Καλοκλίδας Καλλιγίτονος[4]).

ac titulus Chaeroneae repertus exhibet:

Τηλεμαχὶς Εὐβούλου παρόντος αὐτῇ τοῦ ἀνδρὸς Μίλωνος τοῦ Ἱππίνου ἀνατίθησι[5]),

cum in alio legamus[6]):

Μίλων Ἱππίνου καὶ Τηλεμαχὶς Εὐβούλου ἀνατιθέασιν.

Idem differentiae intercedit inter Delphicos duos:

ἀπέδοτο Λίριον συνευδοκέοντος καὶ τοῦ ἀνδρὸς αὐτᾶς Θευγένεος[7]), ἀπέδοντο Θευγένης καὶ Λείριον[8]).

Horum posteriorum facile verbis ipsis res se ita habere videntur, ut in N 31 uxoris proprium mancipium sit, in N 277 autem coniugibus commune, cum verba fiant haec: κορίδια δύο ἃ ἐξεθρέψαντο αὐτοί, et: παραμεινάντων δὲ Σωσὼ καὶ Διονυσία παρὰ Θευγένη καὶ Λίριον ἄς κα ζώωντι Θευγένης καὶ Λίριον, et: κύριος ἔστω Θευγένης καὶ Λίριον κολάζοντες. Discrepantia qua ratione explicabitur? Contenderit quispiam in titulis illis omnibus — quos non ex uno oppido habemus allatos — re vera servum solius mariti esse

---

1) Sicut apud Romanos uxores manu mariti paulatim liberabantur: cfr Zachariae von Lingenthal, Gesch d griech-röm Rechts p 35.

2) Aristot, Oecon VII, 13. Plut, Coniug praec p 140d. Stob Serm LXXIV, 43 & 44.

3) vide supra p 18 sqq.

4) Larfeld, Syll p 32.

5) Ἀθήναιον IX, 357.

6) CI I, 1608 f.

7) W & F 31. — 8) ib 277.

sicut interdum a tota familia facta consecratio dicatur, cum nemo sumptus nisi pater familias toleret. Spartanus quidem titulus exstat:

Ἀριστοκλῆς μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν τέκνων Τύχῃ Ἐπηκόῳ τὸν βωμὸν ἀνέθηκεν [1],

quocum facile comparantur Orchomenii duo manumissionum [2]:

ἀνατιθέασιν Ἱεροκλῆς Πυθίνου, Ἀνθιππῖνα Καφισοδώρου καὶ Σώκλεια Ἱεροκλέους,

ἀντίθεντι ····· ος Δαμοκλίδαο κὴ Ἱππαρέτα ····· κὴ Δαμοκλίδας κὴ Φιλοκλεῖς κὴ Τιμοκράτεις ·····

Ut in his immerito familia dicatur tota — neque enim filiae virgini superstite parentum utroque ullo pacto propria potest res familiaris esse — tamen verbis titulorum Chaeronensis [3]:

Κράτων Ἀμινίου καὶ Εὐγίτα Νικαρέτου συνευαρεστούντων καὶ τῶν υἱῶν ἀνατιθέασιν,

et Delphici [4]:

Σαραπείων τοῦ Ἐμμενίδα καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ συνευδοκέοντος καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῶν Τιμοθέωνος,

non eandem semper esse rem cognoscimus. Accedit quod in alio Chaeronensi titulo a servo mariti diligenter is distinguitur qui coniugum amborum sit [5]:

Θέων Διονυσίου καὶ Ἀθηναῒς Φάωνος κατοικοῦντες ἐγ Χαιρωνείᾳ ἀνέθηκαν τὴν ἰδίαν θρεπτὴν Διονυσίαν ἱερὰν τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν παραμείνασαν ἑαυτοῖς ἕως ἂν ζῶσιν ἀνενκλήτως. Καὶ Θέων Διονυσίου ἀνατίθησι τὸν ἴδιον δοῦλον Κέρδωνα ὡςαύτως παραμείναντα ἑαυτῷ τε καὶ Ἀθηναΐδι ἕως ζῶσι ἀνενκλήτως, τὴν ἀνάθεσιν ποιούμενοι διὰ τοῦ συνεδρίου κατὰ τὸν νόμον:

---

[1]) Le Bas & Waddington, Még et Pélop 163.

[2]) Bull de corr hell 1884, p 72 et 74.

[3]) CI I, 1608h.

[4]) Rangabé, Antiqu hellén II, 904.

[5]) Bull de corr hell 1884, 66. Quod in altera parte tituli apud duos aliquamdiu remanere servo imperatur, nullius momenti est velut CI 1608b mancipia ab uxore Boeotica manu missa apud aviam eius manere iubentur: cfr de Delphicis huius modi moribus Foucart, Mém sur l'affranch p 23 sqq.

nec minus in tabulis libertorum Pheraeis quae temporis Augustei sunt [1]:

Κλήτα ἀπὸ Ἀρχελάου τοῦ Ἱπποκράτους καὶ Ἡγησάνδρας τᾶς Ἱππομάχου, Εὔπολις ἀπὸ Κρατίνου τοῦ Πολέμωνος, Καλλιστὼ ἀπὸ Κρατίνου τοῦ Πολέμωνος καὶ Δικαιοπόλεως τῆς Ἀρίστωνος.

Nescio an alteram partem pretii, ubicunque duo coniuges dicuntur heri, solverit maritus, uxor alteram. Verum etiam aliter intellegere licet verba: ὁ δεῖνα καὶ ἡ δεῖνα ἀνατιθέασι sive ἀπέδοντο. Servi enim saepe in dotem dabantur, velut iam Penelopam Dolios sequitur [2]. Hoc si cogitemus, iure videbitur uxor quoque nominari. Idem censeremus de titulorum Delphicorum verbis ὁ δεῖνα συνευδοκούσης τῆς γυναικός, nisi alii saepe dicerentur praeter uxorem συνευδοκοῦντες. At sine dubio mancipium uxoris agnoscendum in vetustissimo illo titulo qui Eleus videtur Olympiae reperto [3]:

Ἑκαλίδας ἀφῆκε ἐλευθάρως τὸν ἀπὸ Σφίγγας γόνον ἰαρῶς τῶ Διὸς τῶ Ὀλυμπίω· καὶ Πιτθὼ συνέφα Ἀγέλα θυγάτηρ.

De uxore non de filia agitur. Porro proprius uxoris servus est in miro quodam titulo Delphico [4]:

Θεύδοτος Τιμάρχου καὶ Ἀρίστα Ἀρτεμιδώρου συνευδοκέοντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς Θεοδότου,

ubi omissa vocula καί, quae solet inveniri post συνευδοκέοντος, maritus nihil esse nisi συνευδοκῶν significatur. Haud aliter intellego Chaeronensem:

Τελλέας Εὐνόμου καὶ Παραμόνα Κηφισοδώρου καὶ Κηφεισόδωρος Τελλέου κτλ· παρῆν Παραμόνᾳ ὁ ἀνὴρ καὶ Κηφισοδώρῳ ὁ πατὴρ Τελλέας Εὐνόμου [5].

Et ad filium hic servus pertinet et ad uxorem: verbo παρῆν docemur cur antea maritus nominatus sit: epicleros statuenda ad cuius filium superstitis patrimonium avi perveniat. Iam vero de

---

[1]) Ussing, Inscr Gr ined p 10 sqq.

[2]) Hom Od IV, 735. cfr Eur, Iph Aul 46:
σῇ γάρ μ' ἀλόχῳ τότε Τυνδάρεως πέμπει φερνήν,
et Myconias tabulas dotales.

[3]) Roehl, IGA 552; cfr Kirchhoff, Archaeol Zeit 1879.

[4]) Curtius, Anecd Delph 17.

[5]) Bull de corr hell 1884 p 55.

vocabuli παρεῖναι quod in titulis manumissionum Boeoticis legi solet significatione disseramus. Iam supra [1]) ad auctoritatem tutoris id spectare negavimus, neque magis ad praesidium liberti potest referri, cum apud Orchomenios quidem si παρόντες quidam sunt defendere illum sit aliorum [2]). Ne pro testibus quidem habere παρόντας licet, nam in titulo Lebadensi legitur [3]):

Φιλλὼ Νιομινίω παριόντος αὐτῆ κὴ τῶ ουἱῶ Νιομινίω Ἀρίστωνος κτλ· Fίστορες οἱ δεῖνα.

Collatis autem tribus hisce titulis:

Θέων Σωμήλου Λεβαδεὺς παρόντος αὐτῷ τοῦ υἱοῦ Σάμωνος [4]),
Ἀριστοκλῆς καὶ Νικόστρατος Καλλικράτιος κτλ παριόντος Ἀριστοκλεῖι τῶ ουἱῶ Καλλικράτιος καὶ συνευδοκίοντος [5]),
Ξενόφαντος κτλ συνευδοκιόντων κὴ τῶν ουἱῶν · · · · · Πασίωνος Ξενοφάντω [6]):

iidem videntur esse παρόντες ac συνευδοκοῦντες inscriptionum Delphicarum [7]), qui et ad gravitatem manumissionis augendam adsunt et propterea quod in familia servi referuntur: ac semper ii παρόντες propinqui manumissoris sunt etiam si φίλοι appellantur velut [8]):

Καλλὶς Τιμιάδαο παριόντος αὐτῆ φίλων Κάλλωνος Τιμιάδαο, Δαμαγείτω Καφισοδώρω.

Inter singulos homines tituli Chaeronensis:

Λαμπρὶς Μολύνθου παρόντων αὐτῆ τῶν φίλων Εὐάνδρου τοῦ Τιμογίτονος, Ἀναξιδάμου τοῦ Καλλικράτους, Ἀριστοκλέους τοῦ Τιμογίτονος [9]),

alio quem cum singularis sit mutilatum vehementer doleo [10]):


Ἀριστὼ Καλλικράτους παρόντος αὐτῆ τοῦ ἀνδρὸς Εὐάνδρου τοῦ Τιμογίτονος, Καλλικράτης και Σιμίας καὶ Κηφισόδωρος οἱ Σιμίου

---

[1]) vide p 23 sq.
[2]) Larfeld, Syll N 30/31: ἠ δὲ κά τις καταδουλίδδειτη εἶ ἐφάπτειτη. κούριος ἔστω ὁ ἱαρεὺς κὴ τὺ πολέμαρχυ σουλῶντες κὴ δαμιώοντες κὴ τῶν ἄλλων ὁ βειλόμενος κὴ τὺ σούνεδρυ δαμιώνθω τὸν ἀδικίοντα.
[3]) ib 72a. — [4]) Preller, Ber d Sächs Ges d Wiss phil-hist 1854.
[5]) Larfeld, Syll p 51.
[6]) Larfeld, Syll 53d A.
[7]) vide infra p 58.
[8]) Bull de corr hell 1884, 55.
[9]) Ἀθήναιον IX, 356. — [10]) ib 359.

παρόντος αὐτοῖς τοῦ πατρὸς Σιμίου, ἔγγραφον ἀποτίθεντα · · · · · τοὺς ἄρχοντας διὰ τοῦ συνεδρίου εὐαρεστοῦντες, τὴν ἀνιέρωσιν πεπόηται Φιλόξενος Φιλοξένου, · · · · · μενιος Πτολεμαίου ἐν τῷ · · · · · Εὐβούλου ἄρχοντος:

has rationes intercedere probatur:



Complures etsi saepenumero παρόντες reperiuntur in una et eadem manumissione, praeter maritum tamen nemo alius: id quod maxime cernitur in hac inscriptione:

Κλιὼ Δαφήνω κὴ Τιμὼ Μενεστράτω κτλ· παρεῖαν τῇ Κλιῶι φίλυ Καλοκλίδας Καλλιγίτονος, Μεν · · · · · · τῶ δῖνος, Καλλιγίτων Καλοκλίδαο, κὴ τῇ Τιμῶι ὁ ἀνεὶρ Καλοκλίδας Καλλιγίτονος [1].

Opus esse quodammodo videtur ipso marito, cuius usus omnium rerum et fructus in matrimonio sit. Unus exstat titulus in quo uxori alius est παρών atque maritus [2]:

Παρθένα ἱερὰ τοῦ Σεράπιδος, παρόντος αὐτῇ τοῦ ἱεράρχου κτλ παραμείνασαν αὐτῇ καὶ τῷ ἀνδρὶ Φίλωνι Δαυλιεῖ.

Sed de ἱερᾷ hoc loco agitur i. e. de liberta, et omnibus libertis sacerdos maximus dei loco adest patroni [3]: per errorem omittitur maritus qui item adest, nisi forte earum libertarum fortunae ad deum solum pertinent. — Ut in Delphicis titulis eadem ratione verba ἡ δεῖνα συνευδοκέοντος καὶ τοῦ ἀνδρὸς αὐτᾶς [4]) explicemus adducimur eo quod uxori semel tantummodo non est συνευδοκῶν

---

1) Larfeld, Syll p 32.
2) Ἀθήναιον IX, 360.
3) cfr Foucart, Bull de corr hell 1884, p 403.
4) CI I, 1700. Curtius, Anecd Delph 17 et 23. W & F 31; 32; 92; 236; 447.

maritus, quamquam hic et auctoris secundi munere et testis fungitur [1]):

Δικαιογόρα Διοδώρου συνευδοκέοντος καὶ τοῦ υἱοῦ Διοδώρου κτλ· βεβαιωτὴρ κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος Ἄρχων Καλλία. μάρτυρες οἱ ἱερεῖς τοῦ Ἀπόλλωνος Ἄρχων Καλλία κτλ.

Attamen compluries [2]) praeter maritum liberi dicuntur, quare idem aliter alibi verbum intellegere necesse esset. Haec etsi ita sunt, consensum mariti bona administrantis legibus Delphiorum requiri veri simile: in manumissione ipsa tutoris non requiritur auctoritas. — Theraea Epicteta quod sua dicit αὐτόκτητα χωρία haud scio an vidua acquisiverit. — In titulo Rhodio cum iubeantur etiam πολιτίδες pecuniam conferre — ac femina nominatur in parte b — saepe vir et pro se ipso et pro aliis dare dicitur velut pro uxore liberisque aut pro uxore sola: summa semper una scripta ita ut de singulis nihil constet, sicuti legimus:

a. Διοκλῆς Λευδάμαντος καὶ ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ Ξενοτίμου $I^{XI}XX$, Θεύδοτος Ἀρχιδάμου ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τῶν τέκνων καὶ τᾶς γυναικὸς XXX, Παχράσης παιδίον Ἀριστίππου καὶ ὑπὲρ τοῦ πάππου Ἀλκιδάμου · · ·, Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου καὶ ὑπὲρ τοῦ πατρός·

b. Δίων Διοκλεῦς καὶ ὑπὲρ τᾶς γυναικός, Διογένης Διομέδοντος καὶ ὑπὲρ τᾶς θυγατρός · · ·, παιδία Ξενοδίκου X·

c. Νικάνωρ Εὐτηρίδα καὶ ὑπὲρ τῶν υἱῶν καὶ τᾶς γυναικὸς ἀντὶ τοῦ οἴνου XΗΗΗΗ, Βίτταρος Βιττάρου καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ Καλλισθένευς·

d. Ἀλθαιμέ[νης]σθένευς καὶ ὑπὲρ τῶν υἱῶν σιτηρέσιον ἐτῶν δύο ΗΗΗ⊦⊦

Simillimae tabellae sunt Calymnaeae et Cnidiae:

οἱ δὲ συντάξειν προαιρούμενοι τὸν θίασον ἐπαγγείλαντο καθὼς ἔδωκαν, Νέαρχος Ἡρακλείτου ὑπὲρ Νεάρχου τοῦ Ἀναξικλεῦς κτλ· Διοκλῆς Φρὺξ καὶ ὑπὲρ τῶν παιδίων κτλ· Θόας Μύνδιος καὶ ὑπὲρ τῶν υἱῶν κτλ· Εὐήμερος καὶ ὑπὲρ τᾶς γυναικός.

Nec Smyrnaeae non sunt tabulae hominum, qui in opera publica argentum contulere, ubi ad nomina saepe additur: καὶ ὑπὲρ τῆς

---

[1]) W & F 434. cfr Le Bas & Waddington N 952: Δικαιαγόρα Διοδωρου συνευδοκέοντος τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς Ἄρχωνος.

[2]) W & F 33; 267; 426; 430; 437.

γυναικός, nonnunquam καὶ ὑπὲρ τοῦ πατρός etc.[1]. Communionemne coniugibus illis esse bonorum putabimus? Ergo si quis loco propinquorum, qui adulti iam et suae potestatis sunt, pecuniam dat, aliena fungi vice statuendus erit, etiam qui pro avo puer dat[2]. At est in tituli Rhodii parte a:

Ἑκαταῖος Ζωΐλου καὶ ὑπὲρ τῶν παιδίων καὶ τᾶς γυναικὸς X,

et cum utroque parentum superstite fortunas ipse habere puer nequeat, ut illud ὑπὲρ τοῦ δεῖνος aliter alibi intellegamus unum relinquitur, partim de eo qui vice aliena fungatur, partim — si dicuntur uxor liberique — de eo qui ex communi re familiari aliquid conferat. Certi igitur nihil scimus, num apud Rhodios et Calymnaeos et Cnidios et Smyrnaeos sua bona in matrimonio uxor retinuerit. — De titulo consecrationis Mylasio supra iam verba fecimus in p 22. Nihil vero efficitur ex titulis manumissionum Dionysopoli in oppido Phrygiae repertis, qui aetatis Romanae sunt[3]: nec plus ex inscriptione Bospori Cimmerici[4]

Βασιλεύοντος βασιλέως [Σαυ-
ρομάτου Φιλοκαίσαρος καὶ Φιλο-
ρωμαίου Εὐσεβοῦς, ἔτους μηνὸς
Δαεισίου. εωτησμας? καὶ Παρθε-
νουχρηστοῦς Κοσσοῦ Μενάνδρου
καὶ γυνὴ Χηματαέρια? ἀνέθηκαν
Θάλλουσαν θρεπτὴν ἡμῶν ναιο(?)υρι-
σαν ἐπὶ παραμονῇ, μετὰ δὲ τὴν [ζω-
ὴ]ν ἡμῶν ἡμῶν εἶναι αὐτὴν ἐλευθέ-
ρα]ν ὑπὸ Δία, Γῆν, Ἥλιον, ἀνεπάφη[ν κα]ί
ἀ]νεπηρεάστην ἀπό τ' ἐμοῦ καὶ παντὸς
κληρονόμου τρέπεσθαι [δ' αὐτ]ὴν

. . . .

in qua extrema de singulari forma ἐμοῦ idem iudicandum est ac de ceteris vocibus barbaris.

---

[1]) Newton, Greek inscr II, 343. ib 298. Newton, History of discoveries at Halicarn etc p 756. CI II, 3140 sqq.

[2]) Puerum solum reperimus in particula c: παιδίον Αἴσχρου.

[3]) Journ of hellen stud IV, 380.

[4]) Newton, Greek inscr II, 180.

In papyro Aegyptio vetustiore mutuum sumunt frumentum coniuges duo, qui bonorum communione uti videntur [1]. Et alio loco legimus: μέχρι δὲ τούτου συνεῖναι αὐτοῖς ὡς ἀνὴρ καὶ γυνή, κυριευούσης κοινῇ τῶν ὑπαρχόντων [2]. Quamquam in illis litteris anni pC CCCLIV. uxoris solius servus est.

B. De iure quod ad parentes liberosque spectat.

1. Quam filiae vendendae potestatem pater habeat.

Antiquissimis temporibus tanta erat et apud Romanos et apud Graecos patria potestas, ut etiam sub corona liberos vendere patri familias liceret. Apud Plutarchum quidem [3] legimus: πολλοὶ δὲ καὶ παῖδας ἰδίους ἠναγκάζοντο πωλεῖν· οὐδεὶς γὰρ νόμος ἐκώλυε. Ac Thebis pater inops magistratuum intercessione usus liberos vendere poterat [4]. At hoc Solonis legibus vetantur Athenienses, nisi filiam quis in stupro vel sororem deprehenderit [5]. Frater scilicet non habet nisi patris loco mortui eam potestatem. Videntur autem quondam filias sororesque Athenienses vel universi Graeci vendere soliti, cum mares vendere iam non licebat.

2. De liberis quorum parentes haud sint eiusdem ordinis.

Liberi, quos quis genuit e muliere non eiusdem ordinis, patremne an matrem sequuntur an in deteriorem semper sicut apud Germanos partem abeunt? Omnino matrimonia inter eos

---

[1] Leemans, Pap Lugdun I, 411: „tradidit mihi commentarium contra Chenephnibidem Eriei filium et huius uxorem Marmotidem Pasitis filiam de eo quod debentes ipsi secundum contractum etc non reddant has."

[2] Notices et extraits XVIII, 2 N 13: cfr Dareste l l. — [3] Plut, Sol 13.

[4] Ael, VH II, 7: ἀλλ' ἐὰν ᾖ πένης ἐς τὰ ἔσχατα ὁ τοῦ παιδὸς πατήρ, εἴτε ἄῤῥεν τοῦτο εἴτε θῆλύ ἐστιν, ἐπὶ τὰς ἀρχὰς κομίζειν ἐξ ὠδίνων τῶν μητρῴων σὺν τοῖς σπαργάνοις αὐτό· αἱ δὲ παραλαβοῦσαι ἀποδίδονται τὸ βρέφος τῷ τιμὴν ἐλαχίστην δόντι. ῥήτρα τε πρὸς αὐτὸν καὶ ὁμολογία γίνεται ἦ μὴν τρέφειν τὸ βρέφος καὶ αὐξηθὲν ἔχειν δοῦλον ἢ δούλην, θρεπτήρια αὐτοῦ τὴν ὑπηρεσίαν λαμβάνοντα.

[5] Plut Sol 23: θυγατέρας πωλεῖν καὶ ἀδελφάς, ἂν λάβῃ τις παρθένον ἀνδρὶ συγγεγενημένην.

homines iusta fieri per leges nequeunt, quamquam primitus Atheniensium optimus quisque peregrinam duxisse videtur [1]. De nothis ex parente peregrino natis hanc apud Plutarchum legem a Pericle latam legimus (Pericl 37): μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας. Idem Spartae videtur fuisse. Ac ne in Rhodo quidem cives ex matre peregrina gignebantur: tabulae exstant nominum imperii Macedonici temporibus confectae [2], ubi haec sunt:

Ἐπικράτης Φαν·····, Καλλίων Θευφάντου, Διότιμος Διδύμου, Εὔξενος Κλήνου ματρὸς δὲ ξένας, Καλλικράτης Ἀ·····εῦς ματρὸς δὲ ξένας, Δαμάτριος Ἀ····εῦς ματρὸς δὲ ξένας.

Eos homines ματροξένους appellabant [3]. Condicione tamen nescio an meliore quam filii peregrinorum e feminis civibus suscepti fuerint. Contra apud Lycios matrem semper filii sequebantur Herodoto teste [4]. Chalcedone propter Plutarchi locum [5] Bachofeno item matrem liberi immerito videntur sequi: nam inopia illo tempore civium ex calamitate belli summa erat. Inter servos et ingenuos nimirum nullo pacto matrimonia fiunt sicut et apud Romanos et apud Germanos. Nothi erant eius generis Athenis permulti Dionis Chrysostomi temporibus, qui ita dicit [6]: καὶ οὐδεὶς δοῦλός ἐστιν ἀλλὰ μόνον οὐκ Ἀθηναῖος τῶν οὕτω γεννηθέντων. In Delphico titulo legimus [7]: ἀπέδοτο Μενεκράτεια κτλ ἐφ' ᾧτε

---

1) Her VI, 130: ac Miltiadis uxor Thracia fuit Hegesipyla. Contra Dem LIX, 17: ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ἡτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δὲ ἁλῷ, πεπράσθω καὶ αὐτὸς καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ, καὶ τὸ τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος. ἔστω δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά, καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ ἁλούσῃ ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς. vide Gilbert p 178; Jannet 105.

2) Ross, Archaeol Aufs II, 607.

3) Schol Eur Alc 1001; Hesych III p 76 ed Schm; Poll III, 21.

4) I, 173: καὶ ἢν μέν γε γυνὴ ἀστὴ δούλῳ συοικήσῃ, γενναῖα τὰ τέκνα νενόμισται· ἢν δὲ ἀνὴρ ἀστός, καὶ ὁ πρῶτος αὐτῶν, γυναῖκα ξείνην ἢ παλλακὴν ἔχῃ, ἄτιμα τὰ τέκνα γίνεται.

5) Qu Gr 49: πολλῆς δὲ τὴν πόλιν ἐρημίας κατεχούσης αἱ μὲν πλεῖσται γυναῖκες ὑπ' ἀνάγκης ἀπελευθέροις καὶ μετοίκοις συνῴκησαν, αἱ δ' ἀνανδρίαν ἀντὶ τοιούτων ἑλόμεναι γάμων κτλ.

6) XV, 1 p 259 ed Dind.

7) W & F 270; cfr Foucart, Mém p 27.

ἐλευθέρα εἶμεν καὶ θυγάτηρ Σωσίχας καὶ Ἑρμογένεος τοῦ Διοσκουρίδα. Hermogenes, quem propter patris nomen additum existimabimus aut ingenuum aut libertino natum, maritus Sosichae est libertae iam tum, opinor, cum haec παραμονῆς officium, i. e. permanendi liberam in heri domo, praestabat. De condicione liberorum per illud tempus procreandorum in tabulis manumissionis diligenter agebatur [1]: atque ita serva facta Callicratea iam manumittitur. Multis ante saeculis Telesicles sacerdos Parius ex serva sua genuit Archilochum poëtam qui ingenuus quamvis nothus fuit. Aliter res se apud Thessalos habet, ut in tabulis Haliis legimus:

Ἰσιὰς Μνασιαρέτου ἀπελευθερωθεῖσα ὑπὸ Μνασιαρέτου τοῦ Ἀγροίτα καὶ Καλλιβούλας τᾶς Εὐρυδάμου καὶ Νικοβούλας τᾶς Μνασιαρέτου [2],

et in Larisaeis [3]:

Κοσμία Φερεκράτους ἀπὸ Φερεκράτους τοῦ Ἰσίωνος καὶ τῆς δεῖνος τῆς Πορτίνου Παρίου,

Κραταιὶς Ξανθίππου ἀπὸ Ξανθίππου τοῦ Ξανθίππου καὶ Κλεοτίμας τῆς Ἀλκιμάχου,

Ἀμμία Πολυάρου ἀπὸ Πολυάρου τοῦ Πολυάρου καὶ Σίμας τῆς Διοσκουρίδου καὶ Γοργίππου τοῦ Πολυάρου.

Isti servi sui patris sunt, cum heri omnino servae proles habeatur. Mirus vero titulus est Arcadicus post Hadriani tempora exaratus:

Ἐπὶ ἱερέως τοῦ Ποσειδῶνος Κορνηλίου Ἐπιτυγχανίωνος, Εὐοδία Συμμάχου Μαντινικὴ Ἐλπίδα τὴν ἰδίαν θυγατέρα καὶ δούλην ἠλευθέρωσεν ἐλευθέραν τε εἶναι αὐτεξούσιον ἐπέτρεψεν μηδενὶ μηδὲν προςήκουσαν κατὰ μηδένα τρόπον [4].

Servus sine dubio pater est et is quidem, opinor, Euodiae: ingenua debebat filia nasci. In legibus Platonis haec sunt (XI, 10 extr): Si qua serva rem habuerit cum servo libertove, ut ad herum servae liberi pertineant; sin cum servo stuprum fecerit ingenua, ut ad herum servi; sin autem cum suo ipsius

---

[1]) Foucart: Daremberg & Saglio, Dict p 303.
[2]) Bezzenberger, Beitr VI, 308.
[3]) Mitteil archäol Inst 1882, p 226.
[4]) Le Bas & Waddington, Még et Pelop 352k.

mancipio homo consuetudinem habuerit, ut in exsilium et pater et mater et liberi mittantur.

3. De adoptionibus.

Mulieri non licet Atheniensi filium sive filiam sterili adoptare: id quod ex Isaei oratione septima (§ 25) consequitur: μητρὸς οὐδείς ἐστιν ἐκποίητος, ἀλλ' ὁμοίως ὑπάρχει τὴν αὐτὴν εἶναι μητέρα, κἂν ἐν τῷ πατρῴῳ μένῃ τις οἴκῳ κἂν ἐκποιηθῇ. Eandem in ceteris civitatibus legem esse consentaneum.

Contra viro liberis carenti filiam arrogare licet, quae hereditaria exsistat: θυγατροποιία dicitur sicut υἱοθεσία. Exempla haec Atheniensia sunt: τελευτᾷ δ' ἡ θυγάτηρ ἣν ἐποιήσατο Ἁγνίας (Isae XI, 9), et: ἀποθνήσκων ἐποιήσατο τῶν θυγατέρων αὐτοῦ μίαν (ib 41). Haud aliter in titulo Teio legimus [1]):

··· απιὰς Λεωφάντου, φύσει δὲ Ἡροστράτου, χρηστὴ χαῖρε.

Etiam in Doricis civitatibus velut Halicarnassi haec adoptio nobis occurrit [2]):

Σαραπιὰς Ἀπολλωνίου, κατὰ θυγατροποιίαν δὲ Μενάνδρου τοῦ Διονυσοδώρου, καθ' υἱοθεσίαν δὲ Δράκοντος, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῆς κτλ.

et Coi cum ad sacra quaedam gentilicia arrogati admittantur, verba usurpantur κατὰ θυγατροποιίαν [3]).

C. De cura minorum gerenda.

Legitimus impuberi tutor est, qui pro illo ipse agat omnibus in rebus. Quare tutelam nemini administrare licet, nisi civis est et sui iuris. Metoecis quidem Atheniensium hanc negat fuisse potestatem Dareste [4]), quippe quibus ipsis opus esset in iudicio patronus. Mulierem vero tutelam gerere Athenis potuisse nemo adhuc contendit. Quamquam apud alios populos cum in tutela

---

[1]) Le Bas, Asie min 115.
[2]) ib 507.
[3]) Rayet, Annuaire pour l'encourag 1875 IX, N 10.
[4]) Journ des sav 1874, p 620.

habeantur feminae, sine ulla dubitatione viduae curam gerere minorum liberorum licet: Paulus Laband quidem dicit [1]) apud Germanos plerumque viduam habere illam potestatem, nisi forte in iudicio pro liberis agendum sit. Quae consistit cura in re familiari administranda. Hanc autem administrationem Athenis quoque penes matrem invenimus: νέους πλουσίους ὀρφανούς, ὧν οἱ μὲν πατέρες τετελευτήκεσαν, αἱ δὲ μητέρες διῴκουν τὴν οὐσίαν (Aesch c Tim § 170 sq). Nec hinc abhorret Erythraeus titulus [2]), ubi legitur:

αἵδε ἱερητεῖαι ἐπεπράθησαν ἐπὶ ἱεροποιοῦ Ἡρακλεώτου μηνὸς Ληναιῶνος· Διοσκόρων Ἀστύνους Εὐθύνου καὶ ἐπίτροπος Νοσσὼ Σίμου καὶ κύριος Νοσσοῦς Θεόφρων Δημητρίου.

etiam disertis verbis Dittenberger hoc differre adnotat ab Atheniensium legibus. Item fortasse titulus est explicandus Amorginus [3]):

ἀπέδοτο Νικήρατος καὶ Ἡγεκράτη καὶ ὁ κύριος Τελένικος,

ubi Niceratus videtur solus fundos possidere. Nec vero hoc opponet quisquam tot negotia et diversa non posse confici ab homine minore: tutoris enim est administrare, quamquam semper eum dici in commemorandis pristinis negotiis nihil opus est.

Ceterum iis quae attulimus Schmidtii sententia refutatur, qui [4]) in iure Romano muliebrem tutelam propterea imperatore Valentiniano II. aut ante hunc interiisse dicit, quod huius edicto fiat potestas feminis tutelam liberorum gerendi: nec enim hoc cum illo una institum exstare potuisse. — Quodsi in papyro Aegyptiaco, qui initio VII. saeculi scriptus nunc asservatur Berolini, in conducendo mercenario adulescentulo mater eius tutelam gerere videtur: Romanum Iustiniani ius hoc loco sine dubio cogitandum est [5]).

---

[1]) Zeitschrift f Völkerpsych III, 182.
[2]) Dittenberger, Syll 370 v 120.
[3]) ib 438; vide supra p 9 et 38.
[4]) Forschungen I, 301.
[5]) ib 282.

IV. De iure hereditario.

A. De testamenti factione activa.

Apud Romanos nulla est mulieri factio testamenti, ut agnati ne priventur hereditate: ac ne tutori quidem licet interponere auctoritatem, cuius hoc ipsum sit cavere, ne quid detrimenti capiant legitimi heredes. Ea tantummodo, quae capitis deminutionem accepit, factionem habet testamenti propterea quod ita hereditas agnatorum sublata videtur [1]. Atheniensis femina ab omnibus negatur factionem testamenti habere, cum apud Isaeum haec verba exstent (X, 10): παιδὸς γὰρ οὐκ ἔξεστι διαθήκην γενέσθαι· ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν. Obligatio esse testamentum oratori videtur. Jannet unus [2]) in contrariam partem abit Demosthenico loco usus (XXXVI, 14): ὃν μὲν τοίνυν χρόνον ἡ μήτηρ ἔζη ἡ πάντα ταῦτ' ἀκριβῶς εἰδυῖα, οὐδὲν ἔγκλημα πώποτε ἐποιήσατο πρὸς τουτονὶ Φορμίωνα Ἀπολλόδωρος· ὡς δ' ἐτελεύτησεν ἐκείνη, τρισχιλίας ἐγκαλέσας ἀργυρίου δραχμὰς πρὸς αἷς ἔδωκεν ἐκείνη δισχιλίαις τοῖς τούτου παιδίοις, καὶ χιτωνίσκον τινὰ καὶ θεράπαιναν, ἐσυκοφάντει. Quo loco cum Caillemer [3]) Archippam faciat petentem, ut heredes liberis Apollodori duo milia drachmarum donent e re familiari: Schulin [4]) Darestium quodammodo secutus [5]) verba τοῖς τούτου παιδίοις ad liberos Phormionis minus recte refert, quam inter vivos donationem statuit fuisse. Legatum scribi Thalheimo videtur, quod quidem ab arbitris non confirmetur [6]). Restat ut Bunseni proferamus sententiam qui, cum factio testamenti nulla sit mulieribus, legatum scribere iis licere ex hoc Demosthenis loco efficit.

Muliebris tutelae quoniam apud Graecos non eadem atque apud Romanos natura est, haud ideo feminis Atheniensibus nulla

---

[1]) Gide p 121.

[2]) p 136 adnot 1.

[3]) Le droit de tester à Athènes: Annuaire pour l'encour des étud grecques 1870, p 23.

[4]) Das griech Test vergl mit d röm p 11.

[5]) Les plaid civ de Démosth II, 167.

[6]) Antiqu for p 62 adnot 2.

testamenti factio videtur, ne quid detrimenti capiant agnati. At cum in numero obligationum habeamus cum Isaeo testamentum, quid ullo pacto id facere feminis licere negamus, si quidem nihil opus est in ceteris obligationibus nisi auctoritas tutoris? Haec in legato defuit Archippae. Miror quod diserte Thalheim scribat aliter rem se alibi habere atque Athenis, ut liceat testamentum facere mulieribus aut interposita aut non interposita tutoris auctoritate. Nec enim eam inveniri primum in Amorgino titulo quem supra descripsimus [1]). Quid? de consecratis nonne agitur aedibus? Atqui feminis res consecrare omnino licet [2]). Accedit quod ex vocula καί verba κατὰ τὰς διαθήκας ad alius testamentum referenda videntur sicut in testamento Epictetae est: ἀπολείπω κατὰ τὰν γεγενημέναν μοι ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς Φοίνικος ἐντολὰν κτλ [3]). Deinde quod in Calaurino titulo leguntur haec [4]):

> ἐπὶ τοῖςδε ἀνέθηκε Ἀγασίκρατις Τεισία τῷ Ποσειδᾶνι ἀργυρίου δραχμὰς τριακοσίας ὑπέρ τε αὑς αὐτᾶς καὶ τοῦ ἀνδρὸς Σωφάνεος καὶ τοῦ υἱοῦ Σωσιφάνεος καὶ τᾶν θυγατέρων Νικαγόρας καὶ Ἀριστοκλείας, ὥςτε θύειν τῷ Ποσειδᾶνι κτλ

non minus agitur de consecratione. Ceterum et maritus et filius et duae filiae ante eam cuius testamentum est videntur mortui. Tum in vetustissimo titulo Petelino [5]):

> Θεὸς Τύχα. Σαῶτις δίδωτι Σικαινίᾳ τὰν Ϝοικίαν καὶ τἆλλα πάντα. δαμιωργὸς Παραγόρας, πρόξενοι Μίνκων, Ἁρμοξίδαμος, Ἀγάθαρχος, Ὀνατᾶς, Ἐπίκωρος.

omnes fere docti homines Saotim feminam existimant, ubi tutoris nulla mentio fit, cum magistratus nominentur ad confirmandum, ut opinor, testamentum. Dignissima haec res est quam animadvertamus. Quamquam neutri nomen patris additur nec domus accuratius adumbratur ita ut in titulo tutorem quoque omitti quispiam putare possit. Copiosius continetur testamentum feminae Theraeo titulo cuius hoc est initium [6]):

---

1) Dittenberger, Syll 437; cfr p 38.
2) vide p 21.
3) CI II, 2448, I, 9.
4) Keil in Philol Suppl II, 622 = Cauer, Delect 19.
5) CI I, 4 = Roehl IGA 544; cfr supra p 15.
6) CI II, 2448; explicat Dareste, Nouv revue hist de droit VI, 249.

ἐπὶ ἐφόρων τῶν σὺν Φοιβοτέλει τάδε διέθετο νοοῦσα καὶ φρονοῦσα Ἐπικτήτα Γρίννου μετὰ κυρίου Ὑπερείδους τοῦ Θρασυλέοντος συνευαρεστούσας καὶ τᾶς θυγατρὸς Ἐπιτελείας τᾶς Φοίνικος·

Non filiae gratia fit testamentum, quae etiam ab intestata heres esset, cum nec fratres ei sint nec fratrum filii superstites: sed societati propinquorum sacris faciundis legatum ascribitur, ac tutoris opus est auctoritate, cum consecratio non sit. Quod consentit filia, is mos Graecorum est, ne testamentum improbetur postea. — De testamento agitur Theraeo titulo altero, quem admodum dolemus mutilatum esse [1]:

ἔδοξ]ε τῷ κοιν[ῷ τῶν · · · · γνώμα · ·]ρος τοῦ Πυθο · · · · · · ἐπειδὴ Ἀργέα ἁ Δίων[ος · ·]δοξος οὖσα καὶ δηλ · · · · · τᾶς ἰδίας καλοκαγαθίας μ · · · · · ἀπολεῖπεν ἐς πάντα τὸν χρόνον ἐπαγγέλλεται τῷ κοινῷ δραχμὰς πεντακοσίας.

Ad sacra facienda cuidam societati Argia pecuniam dat: auctoritas tutoris quamvis desideretur in testamento, non tamen ipsum testamentum est hic titulus, quare mirandum nihil. — Commemoratur testamentum feminae in titulo Phrygio [2]) ubi legimus:

εἰς ὃ χρῆμα καὶ κατὰ τὴν ἐντολὴν τῶν τέκνων ὁ πατὴρ αὐτῶν Δημοσθένης Ἀπολλοφάνους Τηλεφιανὸς καὶ Ἄμμιον Δημοσθένους ἡ μήτηρ αὐτῶν ἐν αἷς ἔθεντο διαθήκαις κατέλιπον χωρία τῇ πόλει προςνέμειν.

Attamen nec ipsum testamentum est ut supra et marito nescio an superstite suum Ammion testamentum fecerit.

B. De heredibus legitimis.

1. De descendentibus.

Num filiabus una cum filiis hereditas obtingat.

Athenis [3]) filii ab hereditate excludunt filias: quibus tamen nondum nuptis aut per testamentum pater aut post eius mortem heres dotem dicere solet [4]), atque ita κληρονόμοι vox intellegenda,

---

1) Ross, Inscr II, 198.

2) CI III, 3847 p = Le Bas, Asie min 1006.

3) De iure Atheniensium nuper accurate scripsit Caillemer: Rev de législ anc et mod 1874, p 133; 1875, p 1; 1876, p 649.

4) Isae VI, 46: γνησίου ὄντος υἱέος οὐκ ἔστιν ἐπίκληρος ἡ θυγάτηρ οὐδὲ ὁ κλῆρος ἐπίδικος. — Harpocr ἐπίδικος· Ἐπίπροικος δὲ ἡ ἐπὶ μέρει τινὶ τοῦ κλήρου ὥστε προῖκα ἔχειν ἀδελφῶν αὐτῇ ὄντων. — cfr Poll III, 33 et Leg Seguer p 265.

quae de germanis haud eiusdem sexus apud Isocratem est (XIX, 9). Hoc institutum quod commune omnium Graecorum Jannet (p 77) putat, idem nobis occurrit apud Indos et Iudaeos, cum in Aegypto filiae antiquitus cum filiis una hereditatem consequantur. Romae autem quicunque in manu hominis morientis inveniuntur, heredes sunt ita ut emancipati excludantur utriusque sexus liberi. Apud Germanos fundi maribus potius obtingunt, cum in mobilibus bonis dividendis feminae aut pari iure sint aut antecedant.

At in quibusdam civitatibus Graecorum aliud videtur esse successionis ius. Thalheimo quidem [1]) in Ionica insula Teni cum filiis una filias in hereditatem vocari veri simile est. Accuratius iam in illo titulo legimus [2]):

Ἡγέας Ἀμφίονος Ἐλειθυαιεὺς παρὰ Χαιρέλα Χαβυσίου Θεστιάδος καὶ παρὰ Φειδῶς Χαβυσσίου Θεστιάδος καὶ παρὰ Ἰφικρίτης Χαιρέλα Ἐλειθυαΐδος μετὰ κυρίων Τιμοκράτους καὶ Χαιρέλα Χαβυσσίου Θεστιαδῶν ἐπρίατο κτλ ὅσα ἦν Χαβυσσίου τοῦ πατρὸς τοῦ Χαιρέλα καὶ Φειδῶς.

Vendunt liberi cum matre sua: alter germanorum Timocrates, qui tutor auctoritatem interponit, fundorum non videtur particeps: hanc ob rem donationem potius aut inter vivos factam aut mortis causa statuerim quam ab intestato hereditatem, praesertim cum in v 99 legatur:

ὁ δεῖνα ἐπρίατο παρὰ Φειδῶς Χαβυσσίου Θεστιάδος μετὰ κυρίων Τιμοκράτου καὶ Χαιρέλα Χαβυσίου κτλ πάντων τὰ ἡμίση ὅσα ἦν Χαβυσσίου τοῦ πατρὸς τοῦ Φειδῶς.

nam per hereditatem nescio an Phido dimidiam partem acceptura non fuerit, cum fratres duo sint superstites. Donatio autem inter vivos facta invenitur in v 38:

Ἀπατουριῶνος· Καλλιφῶν Κτήτωνος Ἡρακλειδῶν παρὰ Φώκου Φωκίωνος Θρυησίου ἐπρίατο τὴν οἰκίαν ἣ ἦν πρότερον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Κτήτωνος κτλ συνεπαινοῦντος Φώκου καὶ Κτήτωνος τοῦ πατρὸς τοῦ Καλλιφῶντος.

---

[1]) Ant for p 10 adnot.

[2]) Newton, Greek inscr II 377, v 92.

ltaque de iure Teniorum hereditario nihil constat quod a legibus Atheniensium abhorreat.

Spartae omninoque in civitatibus Doricis num sicut Athenis filia hereditate a filio excludatur, accurati nihil apud scriptores veteres legitur: quamquam propter leges quas de hereditariis filiabus Spartae quoque certo scimus fuisse idem statuendum erit [1]. Porro de Cretibus Ephorus memoriae hoc apud Strabonem prodit [2]: φερνή δ' ἐστίν, ἂν ἀδελφοὶ ὦσι, τὸ ἥμισυ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ μερίδος. Titulus ille V. aC saeculo exaratus [3]:

Ξουθίᾳ παρακαθθήκα τῶ Φιλαχαίω τετρακότιαι μναῖ ἀργυρίου. εἰ μέν κα ζώη, τοὶ υἱοὶ ἀνελόσθω τοὶ γνήσιοι, ἐπεί κα ἡβάσωντι πέντε Fέτεα· εἰ δέ κα μὴ ζῶντι, ταὶ θυγατέρες ἀνελόσθω ταὶ γνήσιαι κτλ.

si iure dicitur a Fickio Achaeus, ne apud Achivos quidem filiae vocari videntur in hereditatem nisi filiis deficientibus. Atque etiam apud Mytilenaeos Aeolicos Aristoteles [4] fuisse dicit ἐπικλήρους.

Delphicis titulis manumissionum a Locrensibus plerumque et Phocensibus factarum Thalheimo videtur comprobari filio superstite heredii partem filiae obtingere. Haec fere solent verba esse:

ἄρχοντος τοῦ δεῖνος, μηνὸς τοῦ δεῖνος, ὁ δεῖνα ἀπέδοτο Ἀπόλλωνι σῶμα ἀνδρεῖον τιμᾶς ‧ ‧ ‧ μνᾶν, συνευδοκούντων τοῦ δεῖνος καὶ τῆς δεῖνος. βεβαιωτὴρ ὁ δεῖνα, μάρτυρες οἱ δεῖνα.

Eos συνευδοκοῦντας Thalheim sicut antea iam Foucart et Büchsenschütz [5] heredum nomine consentire censet, ne quando postea manumissionem improbare possint [6]. At primum nec in Delphi-

---

[1]) Foustel de Coulanges, Droit de propriété à Sparte: Journ des sav 1880, p 140. OMüller, Dorier[2] II, 192.

[2]) vide supra p 34.

[3]) Roehl IGA 68; Bezzenberger, Beitr V 324; Meister, Jahrb f Philol 1882, p 522 et Wilamowitz-Möllendorf, Zeitschr f d Gymn-W 1884, p 112. Lacedaemonium dicit Roehl.

[4]) Aristot, Pol V, 3, 3.

[5]) Foucart, Mém sur l'affranch p 8; Büchsenschütz, Besitz u Erwerb p 175.

[6]) Legitimus nequaquam est consensus — id quod Thalheim statuit — quippe qui compluries heredibus commemoratis desit (W & F 42; 54; 84; 152; 244; 279), cum accuratissime et auctores secundos semper et

cis nec in Boeoticis inscriptionibus συνευδοκοῦντες illi diserte heredes appellantur: id quod semel fit, in titulo Iudaei Panticapaeensis anno pC LXXXI. exarato [1]:

ἀφείημι κτλ ἀνεπίληπτον καὶ ἀπαρενόχλητον ἀπὸ παντὸς κληρονόμου κτλ συνεπινευσάντων δὲ καὶ τῶν κληρονόμων μου Ἰφικλείδου καὶ Ἑλικωνιάδος.

Et cum hic heredum consensus, quo provideatur liberto, nihil miri habeat, Delphis non modo per complures testes, verum etiam per ipsos βεβαιωτῆρας legitimos rebus illius satis prospectum est. Dein de titulis Delphicis quaeritur, num ad omnes eodem tempore συνευδοκοῦντας veniat hereditas. Caute quidem verba Foucart haec facit: „On descend aussi jusqu'à la seconde génération; ainsi une femme ajoute à l' approbation de sa fille et de son fils celle du fils de sa fille [2]; une autre celle des deux fils de sa fille [3]. On remonte même aux ascendants." Nec enim contendes non solum filiam tresque filios, sed etiam unius ex his filium pari iure esse [4] aut filiam et maritum eius et aliam cum suis filiis mulierem [5]. Verum si his locis heredem alterum esse negas nisi post mortem alterius: cur non tum demum filiabus obtingere existimas hereditatem, si liberis non relictis filii defuncti sint? Ita autem etiam multo minus earum opus esse consensus videtur. Noli opponere filiam, quae ante filium interdum nominetur [6], nullo pacto post hunc posse in hereditatem vocari:

---

testes nominatos inveniamus. E verbis autem κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος (W & F 39: ἀπέδοτο ἡ δεῖνα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ σῶμα γυναικεῖον ᾧ ὄνομα Στολὶς συνευδοκέοντος καὶ τοῦ υἱοῦ Νικάνορος κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος τιμᾶς ἀργυρίου μνᾶν τριῶν. cfr 140 et 143) de consensu nihil efficitur: immo vero manumissio ipsa secundum leges facta dicitur, ut in N 432 est de manumissione Physcide quidem facta Delphisque conscripta: ἐν ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἀνέθηκε. Haud levi argumento utor verbis tituli Lamiani (Mitteil archäol Inst 1883, p 131), ubi priore loco legimus: ἡ δεῖνα ἡ ἀπελευθερωθεῖσα ὑπὸ τῆς δεῖνος συνεπαινούντων τῶν δεῖνα κατὰ τὸν νόμον, tum: ὁ δεῖνα ὁ ἀπελευθερωθεὶς ὑπὸ τοῦ δεῖνος κατὰ τὸν νόμον.

1) CI II 2114bb = Antiqu du Bosph Cimm XXII.
2) W & F 21; Curtius, Anecd Delph 11.
3) W & F 249.
4) Curtius 11: Polya quaedam manumittit.
5) CI I 1709b.
6) W & F 352; 21; Curtius 11.

nam et in N 96 manumissoris mater post matrem patris nominata et in CI II, 1709b ante filiam invenitur alia mulier, ex quibus rebus colligere nihil liceat. Denique quod Thalheim in titulis Delphicis heredum astipulatorum nomine etiam ascendentes nobis occurrere, nusquam tamen una cum descendentibus dicit [1]: hoc meminerimus auctore illo ipso in sescentis fere inscriptionibus semel fratrem sororemque semel reperiri [2]. Ut omnia complectamur, cum de heredum consensu in titulis Delphicis agi nihil constet, ne id quidem habemus exploratum filiam in illis regionibus cum filio una heredem esse. — Respecta glossa Hesychiana:

συνευδοκοῦσι· συγκοινωνοῦσι

hoc vocabulum quod latius patet ita intellexerim ut advocari eos homines manumissori necessitudine iunctos ad gravitatem caerimoniae augendam putem, cum praesertim servi apud Graecos familiares habeantur [3]. Et qui videntur συνελευθεροῦν, non immerito iis nomen est συνεπαινοῦντες sive συνευαρεστοῦντες.

Panticapaei filia in hereditatem una cum filio vocari videtur, cum in titulo non Iudaico haec sint [4]:

Τειμόθεος Νυμφαγόρου Μαχαρίου σὺν ἀδελφῆς Ἦλιδος γυναικὸς Νάνου Βαλαμύρου κατὰ εὐχὴν πατρὸς ἡμῶν Νυμφαγόρου Μαχαρίου ἀφείομεν.

Apud Lycios, qui medium inter Graecos tenent et Eranios quorumque Graece recentiores tituli perscripti sunt [5], antiquitus in rebus fere omnibus feminae mares antecedunt [6]. Ac legimus apud Nicolaum Damascenum [7]: τάς τε κληρονομίας ταῖς θυγατράσι λείπουσιν, οὐ τοῖς υἱοῖς. Cuius iuris antiquissimi reliquias Bachofen in titulis sepulcralibus posterioris temporis agnoscere videtur CI III

[1]) Antiqu for p 60 adnot 4.

[2]) Ceterum in N 75: Ἀριστόκλεια Ἀγαθοκλέους Ναυπακτία συνευδοκέοντος τοῦ υἱοῦ Στρατονίκου καὶ ὑπὲρ Ἀγαθοκλῆ τοῦ υἱοῦ Ζωΐλου hic posterior Agathocles aut pater aut filius esse, ergo Zoïlus aut frater aut nepos manumissoris haberi potest.

[3]) vide supra p 43.

[4]) CI II 2131b = Antiqu du Bosph Cimm XXIII.

[5]) cfr Savelsberg, Lyc Sprachdenkmäler.

[6]) cfr Her I, 173.

[7]) Müller, Fragm hist Gr III, 461.

4244, 4248: cum filiae proles infinitam habeat sepulcri potestatem, prolem filii excludi diserte, etsi pro moribus illorum temporum Graecoromanis beneficio quodam damnum filio resarciatur. De patris hereditate hactenus.

Maternae res filiabus apud Indos nondum nuptis obtingunt: quae tamen lex postea quodammodo immutata est. Nec simile quicquam aut apud Romanos reperitur aut apud Germanos. Nec in Graecia universa maternae alia ratione ac paternae res hereditate relinqui videntur. In titulo Iudaei Panticapaeensi, ubi Chresta manumittit Niciae cuiusdam vidua [1], heredes feminae dicuntur Iphiclides et Heliconias, quos liberos habendos veri simile est: ecce testimonium alterum, quo Panticapaei filiam et filium una in hereditatem vocari comprobatur. Attamen hoc minime Iudaici iuris est.

De filiabus hereditariis.

Si cui neque filii sunt legitimi nec a defunctis filiis nepotes, e lege iam Mosaïca hereditatem filiae consequuntur: quarum quidem nubere intra gentem est, ut conservetur res familiaris [2]. In Graecia de filia hereditaria [3] praecipuae leges scriptae exstant, ut familiae nomen ne exstinguatur. Quamquam filiae non ipsae heredes esse, sed una cum heredio proximis genere obtingere videntur.

Athenis propinquorum ordinem fuisse lege destinatum veri simile: et cum inter uterinos ne per Atticam quidem legem matrimonia fieri liceat, aetatis autem ratione habita sororis filio vix hereditaria unquam nubat: primus est defuncti frater [4], dein huius fratris filius [5], tum cuius mater soror est defuncti, tum

---

1) CI II 2114b: Χρήστη γυνὴ πρότερον Νικία τοῦ Σώτα.

2) Num XXVII, 1—11 et XXXVI.

3) quae appellatur ἐπίκληρος, ἐπικληρῖτις, πατροῦχος, ἐπιπάματις.

4) Isae X 5: Ἀριστομένης γὰρ ἀδελφὸς ὢν ἐκείνου τοῦ Ἀριστάρχου, ὄντος αὐτῷ υἱέος καὶ θυγατρός, ἀμελήσας ἢ αὐτὸς ἔχειν ἢ τῷ υἱεῖ μετὰ τοῦ κλήρου ἐπιδικάσασθαι κτλ.

5) Isae X, 5 et III, 72: ἀλλ' οὔτε ἐγένετο οὔτ' ἔστι, μὴ γενομένων δὴ παίδων γνησίων ἐκείνῳ, ἐγγυτέρω ἡμῶν οὐδὲ εἷς· ἀδελφὸς μὲν γὰρ οὐκ ἦν αὐτῷ οὐδ' ἀδελφοῦ παῖδες, ἐκ δὲ τῆς ἀδελφῆς ἡμεῖς ἦμεν αὐτῷ.

defuncti patruus et huius filius [1]). Addicit archon hereditariam, etiam si antea iam alii nupsit, ei qui proximus videtur genere: huic tamen cedere de iure suo licet, quofacto proximus rursus sequitur. Pauperem quicunque filiam renuntiat, certam pecuniae summam ei heredii loco dare debet [2]). Ad filios ἐπικλήρου, simulatque suae potestatis esse coeperunt, heredium avi venit [3]). — Si cui filiae sunt complures, parine omnes iure utuntur, an maxima reliquas antecedit? Caillemer [4]) alteri filiae dotem datam, hereditatem alteri totam obtigisse arbitratur exordio innisus orationis quam in Spudiam Demosthenes habuit. Hoc fieri potest, si maritum alterius filiae pater sibi arrogavit: verum tum ἐπίκληροι non sunt, cum arrogatus omnibus in rebus filii loco habeatur. Non facta arrogatione omnes eodem iure filiae sicut filii utuntur: ac Suidas dicit: καλοῦνται δὲ ἐπίκληροι κἂν δύο ὦσι κἂν πλείους, quibuscum verbis congruunt Isaei duo loci [5]). Contrarium esse minus recte Thalheim [6]) in Isaei oratione decima (§ 4) dicit, ubi una nobis ἐπίκληρος occurrat. Nam cum quattuor primitus germani fuerint, filius alter in familiam alienam arrogatus sua hereditate privatur, alter et filia altera praemature moriuntur, ut nemo sit superstes nisi unica illa filia. — Si praeter unam hereditariam defunctae alterius liberi exstant, cum in stirpes semper dividatur, quantum superstiti filiae, tantundem his universis obtingit.

---

[1]) Isae III, 74: ἢ γὰρ ἡμῶν τινα τῶν ἐγγύτατα γένους ἐπιδικασάμενον ἕξειν γυναῖκα, ἢ εἰ μηδεὶς ἡμῶν ἐβούλετο λαμβάνειν, τῶν θείων τινὰ τούτων τῶν μαρτυρούντων κτλ ἕξειν ταύτην γυναῖκα.

[2]) cfr supra p 33.

[3]) Dem XLVI, 20: καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. — Ceterum metoecis Atheniensibus ius idem erat, quibus tamen πολέμαρχος non minus quam in aliis rebus lege constituebatur: cfr Alciphr Ep I, 6: Σωσθένης ὁ Στειριεὺς ἦν μοι πατὴρ καὶ Δαμοφίλη μήτηρ, οἵ με ἐγγυητὴν ἐπίκληρον ἐπὶ παίδων ἀρότῳ γνησίων συνῆψάν σοι γάμῳ κτλ. καί σε γράφεται παρὰ τοῖς δικασταῖς κακώσεως.

[4]) Annuaire de l'assoc pour l'encourag IV, 33.

[5]) Isae VIII, 40; VI, 47.

[6]) Antiqu for p 58 adnot 1.

Aristoteles qui et legitimam filiam relinquit et filium nothum, Nicanorem sibi generum arrogat, cum filio concubinae legatum tantummodo ascribatur [1]).

Valerius maximus (II, 6, 8) de anu verba facit quae coram S. Pompeio mortem sibi consciverit in insula Cea [2]) filiabus relictis duabus septemque nepotibus. Cohortata deinde, inquit, ad concordiam suos, distributo eis patrimonio, et cultu suo maiori filiae tradito etc. Nomen cultus Hase ad sacra domestica refert, quae maximo cuique liberorum tradi solita fuerint: cum alii docti homines supellectilem cogitent a maioribus acceptam, quae sacra habeatur. De colendis manibus ipsius feminae verba Cultu Suo sine dubio intellegenda, ut in titulis Agasicratidis Calaurino et Theraeo Epictetae legimus.

Charondae lex de epicleris scripta paullum ab Attica differt [3]).

Spartae cui ἐπιπάματις obtingat, antiquitus quidem legibus destinatum fuisse ex loco Aristotelis efficitur [4]): νῦν δ' ἔξεστι δοῦναί τε τὴν ἐπίκληρον ὅτῳ ἂν βούληται, κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος, ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον, οὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσιν. — E novis rebus ab Epitadeo institutis patri filiae unicae heredem testamento scribere licebat, qui filiam non duceret. — Gorgonem Leonidas Cleomenis hereditariam genere proximus duxit. Certaminum de ἐπικλήροις exortorum reges erant iudices sicut Atheniensis archon [5]). Müller et Mallet [6]) Lacedaemoniam ei nubere hereditariam debuisse contendunt, qui heredio ipse filius minor natu careret. At omnino ecquidem Jannetum sequor, qui adversus Mansonem et Müllerum et Lachmannum legibus divisionem

---

1) Schulin p 27.

2) sic enim optimi codices, cum alii aut CHIO aut COO exhibeant.

3) Diod XII, 18: vide supra p 33 adnot 1.

4) Pol, II 6, 11; cfr Foustel de Coulanges, Journ des sav 1880, p 141.

5) Her VI, 57: δικάζειν δὲ μούνους τοὺς βασιλέας τοσάδε μοῦνα· πατρούχου τε παρθένου πέρι, ἐς τόν ἱκνέεται ἔχειν, ἢν μήπερ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ κτλ.

6) Müller, Dorier² II, 194; Mallet, La propr fonc à Sparte: Rev de l'instr XXII, 247.

patrimonii vetari negat [1]. Quare et filiae complures pari iure sunt et hereditariae licet etiam maximo alicuius filio nubere.

Cretum est de ἐπικλήροις lex eaque vetustissima, cuius pars sic legitur [2]:

τὸνς ἐπιβαλλόντανς ἐξῆμεν, αἴ κα θανών τις πατρῳῶχον καταλίπῃ, ἢ αὐτὸνς πρίασθαι τὰ χρήματα ἢ πὰρ τὸνς ματρῴανς καταθέμεν, ἇς κα ὀπυίηται ἁ πατρῳῶχος, καὶ δικαίαν ἦμεν τὰν ὠνὰν καὶ τὰν κατάθεσιν. αἰ δ' ἄλλος πρίαιτό τις χρήματα ἢ καταθεῖτο τῶν τᾶς πατρῳώχω, τὰ μὲν χρήματα ἐπὶ τᾷ πατρῳώχῳ ἦμεν, ὁ δ' ἀποδόμενος ἢ καταθὲνς τῷ πριαμένῳ ἢ καταθεμένῳ, αἴ κα νικαθῇ, διπλῇ καταστασεῖ· καἴ τί κ' ἀλλᾶ τᾶς ᾖ (?), τῶ ἁπλόον ἐπικαταστασεῖ.

Videlicet de filia nondum nupta primo loco agitur, quae infirmior videtur quam ut rem administrare familiarem possit, cum a tutoribus id postulari nequeat. Conservanda res intra familiam ipsam est.

Theraeus Epictetae pater germano fratre carentis filium sibi arrogavit: Ἀντισθένης Ἰσοκλεῦς, κατὰ δὲ υἱοθεσίαν Γρίννου [3]. Phoenix maritus Epictetae item Grinni filius adoptivus esse non dicitur: quare aut, si unica filia Epicteta est, tertio saeculo in Thera filium arroganti sicut Spartae posterioribus temporibus hereditariam licet extra gentem collocare, aut, si sorores Epictetae sunt, illic velut Athenis compluribus filiabus unum filium arrogare heredem satis est. Denique mentione dignum hereditarias, cum aliae mulieres matrimonio inito statim illa societate propinquorum excludantur, per omne vitae tempus, etiam cum maritis, permanere: καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν, τὰ μὲν θήλεια, ἕως καὶ ὑπὸ τὸν πατέρα κτλ· πορευέσθωσαν δὲ καὶ αἱ ἐπίκλαροι καὶ οἱ ξυνοικοῦντες αὐταῖς.

Achaico Xuthiae titulo potestas filiabus fit, si filii non sint futuri, pecuniae ex sacro repetendae.

---

[1] Manso, Sparta I 121; Müller 1 1 p 193; Lachmann, Spart Staatsverf 172; Iannet 77; Lipsius: Bursian Jahresber II 1342.

[2] Roehl IGA 475; Mus Rhen XXXVI, 612.

[3] CI II 2448.

Amphissae filiae complures pari iure sunt: tituli enim Delphis reperti, ubi Megacles Amphissanus manumissor est [1]: παραλαβὼν Μεγακλῆς τὰν ὠνὰν παρὰ τᾶν ἀδελφᾶν τᾶν Εὐμνάστου θυγατέρων, Κρινίου Ἀμφισσίδος, Λ···· Καλλιπολιτίδος καὶ ὑπὲρ Κλευπάτραν Τριχονίδα Εὐμνάστου Τριχονέος, τὰν ἐπίστευσε Νίκαια αὐτοσαυτᾶς ὠνὰν ΕΠΙΣΩΠΟΝΠΙΑΙ Εὐμνάστῳ τῷ πατέρι αὐτᾶν, recte ipse Haussouillier res explicat. Cum herus accepto manumissionis pretio interea defunctus esset, filiae tres in singulis oppidis singulae habitantes Amphissae Callipoli Trichonii liberandae servae curam Megacli tradiderunt primae illius coniugi. Mirandum tamen quod pro tertia nobis vir occurrat. Is vice tantum feminae nequaquam fungitur, cum nihil hic ipsam iubere intersit. Immo mortua iam habenda est et Eumnastus propter nomen avitum videtur filius: nisi forte Trichonii matre hereditaria etiam superstite filio res obtingit.

Mytilenae quoque pari iure sunt hereditariae complures, cfr Aristot Pol V, 3, 3: περὶ Μυτιλήνην δὲ ἐξ ἐπικλήρων στάσεως γενομένης πολλῶν ἐγένετο ἀρχὴ κακῶν κτλ· Τιμοφάνους γὰρ τῶν εὐπόρων τινὸς καταλιπόντος δύο θυγατέρας ὁ περιωσθεὶς καὶ οὐ λαβὼν τοῖς υἱέσιν αὐτοῦ Δόξανδρος ἦρξε τῆς στάσεως.

Ex legibus Platonis (XI, 7) hereditaria, nisi pater generum testamento scripsit, una cum defuncti clero ad huius fratrem venit clero carentem consanguineum uterinumve aut ad fratris filium aut ad filium sororis aut ad defuncti patruum huiusque filium aut ad eum cuius mater est defuncti amita: si autem ex his nemo aut superstes aut aetate aptus est, ipsa filia tutoribus adhibitis maritum sibi eligit, defuncti heredem [2]).

2. De ascendentibus et collateralibus.

Inter ascendentes et collaterales quem locum feminae obtineant Athenis, hoc unum proditur memoriae. Nimirum pari cognationis gradu hereditate feminae a maribus excluduntur et stirpem

---

[1]) Bull de corr hell 1881, p 419.

[2]) KFHermann, Iur domest et famil apud Plat in Leg cum vet Graec instit compar p 26.

feminarum semper marium progenies antecedit[1]). Matris hereditas iam apud veteres controversa: Theon quidem [2]) dicit: ἀμφισβητήσειε γὰρ ἂν καὶ ἡ μήτηρ, ὡς εἰ τούς πρὸς μητρὸς νόμος κληρονομεῖν καλεῖ, πολὺ πρότερον αὐτὴν τὴν μητέρα καλοίη. Ex viris doctis horum temporum quicunque matrem vocari in hereditatem censent, maxime ii laudant Isaei orat XI § 30, ubi post fratres uterinos mater appellatur [3]). Darestium sequor, cui hereditas parentis repugnare primitus videtur hereditatis propriae notioni, cum praesertim etiam matri dote sit prospectum. Oratorum demum temporibus ipsam matrem existimari non excludendam, quippe cuius progenies ad hereditatem veniat. Attamen nec matrem neque patrem vocari nisi post progeniem suam et virilem et femineam mihi veri simile [4]). Cum tantundem una soror quantum defunctae alterius filius accipiat [5]), et Bunsen perperam et Desjardins filium et matrem suam superstitem, si hereditas huic a collateralibus obtingat, pari iure esse censent. — Si qui cum defuncto alii per eius patrem, alii per matrem cohaerent, illi e lege Attica omnes antecedunt usque ad consobrinorum filios [6]), tum usque ad eundem gradum hi sequuntur [7]). Recte Dareste discernit ἀγχιστείαν et Romanorum agnationem, cum haec patriam potestatem consecuta virili solum stirpe constet. Velut Athenis filius sororis, qui cognatus Romae dicitur, heres ante filii filium agnatum est.

Legem Charondas teste Diodoro (XII, 15) scripsit, ut tutelam pupillorum propinqui matris gererent: quos, cum non in hereditatem vocarentur, diligentius illis esse prospecturos; res autem

---

[1]) Isae VII, 20: κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, οἳ ἂν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, κἂν γένει ἀπωτέρω τυγχάνωσιν ὄντες.

[2]) Progymn c 13 § 10.

[3]) Mayer, Recht d Athener II § 257 p 467; Bunsen, De iur hered Ath p 39; van Stegeren, De condic civ fem Ath p 113; Schneider, De iur hered Ath p 23; Gans, Das Erbrecht I, 372; Dareste, Journ des sav 1874 p 623.

[4]) Antiqu for p 60.

[5]) Isae VII, 18 et 19.

[6]) μέχρι ἀνεψιῶν παίδων: Dem XLIII, 27; Isae XI, 9.

[6]) Dem XLIII, 51; Isae XI, 11; VII, 22.

propinqui patris administrarent [1]). Excludi prorsus stirpem matris haud recte colligit ex eo loco Jannet (p 86), cum hoc tantum patris stirpem antecedere constet.
Pittaci lex Lesbia est [2]): νέμεσθαι πατέρα καὶ μητέρα τὴν ἴσην.

E titulo Iudaei Panticapaeensis [3]):

ἀφίημι τοὺς ἐμοὺς δούλους κτλ· ἔστω δὲ αὐτοῖς ἡ παραμονὴ μέχρι τῆς ζωῆς ἡμῶν παρ' ἐμοὶ καὶ τῇ συνευαρεστούσῃ μητρί μου···. ιτάδι καὶ πάντα ὡς ἡ μήτηρ μου διέταξεν τελευτήσαντός μου ποιήσουσιν πάντες,

nescio an matris hereditas efficiatur. Verum ex iure Iudaico mater utique excluditur [4]): quare ad Iudaeos illos pertinere Panticapaeensium ius videtur, nisi forte legata agnoscemus, quae hominibus hereditate legitima carentibus etiam apud Iudaeos ascribere licet.

3. Num marito uxor heres sit.

Athenis uxor in hereditatem non vocatur, cuius rebus dote iam prospectum sit. Romae uxor quae in manu dicitur mariti cum prorsus filiae loco habeatur, una cum liberis non emancipatis heres est. Apud Germanos cum a patre dotem nullam nupta accipiat, hereditas quaedam viduae obtingit, quae tamen post eius mortem ad propinquos mariti redeat: nihil igitur viduae est nisi usus et fructus rei per aliquantum temporis [5]). Apud Indos viduam primitus alere tantummodo legitimi tutores, quorum collocare est, sua pecunia debebant: paulatim vero vidua filiis carens in hereditatem totam vocabatur, cum omnino feminae excluderentur. Quamquam item testamento debet mariti collateralibus rem familiarem reddere.

Erythris in urbe Ionica legem Thalheim statuit [6]) ab Atheniensi differentem, qua vidua marito heres etiam filios antecedat. At cum haec in illo titulo legantur:

---

[1]) οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ μητρὸς συγγενεῖς οὐ προςήκοντες τῇ κληρονομίᾳ.

[2]) Theon, Progymn c 13 § 8.

[3]) CI II 2114b.

[4]) Maimonides, Mischne Thorah, De servis VI, 4.

[5]) Laband l l.

[6]) Antiqu for p 10 adnot; Dittenberger Syll 370 v 150; vide supra p 11.

Ἀρισταγόρη Διονυσοδώρου μετὰ τοῦ παιδὸς Διονυσοδώρου τοῦ Ἀριστομένου κληρονόμος οὖσα τῶν Ἀριστομένου τοῦ Μητροδώρου κατὰ διαθήκην διασυνίστησιν ἱερητείαν ἣν ἠγόρασεν Ἀριστομένης, supra iam μετὰ τοῦ παιδός verba ad tutoris filii auctoritatem interpositam rettulimus: de filio herede omnino nihil dicitur, cum diserte vidua testamentaria heres appelletur: quod autem anno aC CCLXXVIII. testandi etiam filio superstite potestas libera sit, non mirum. Ab intestato heres vidua non videtur.

Plutarchi quodam loco, ubi Spartae ex cleris civium singulis septuagenos modios ipsis ac duodenos uxoribus rediisse tradit, OMüller usus dotem a marito Lacaenae dictam contendit: id quod Jannet (p 110) refutat, cum idem apud alium auctorem nullum reperiatur, et ad posteriora tempora fortasse referendum censet, quibus ditissimas mulieres fuisse constat. Hunc tamen ecquidem non secutus, cum dotem constet Lacedaemone antiquitus non fuisse, Germanorum illud institutum profero, cuius supra mentio fiebat. Apud eundem Plutarchum [1]) mulierem divitem invenimus quae, cum vidua videatur, nequaquam filia hereditaria est: ἡ δὲ ἀληθῶς ἀναπείσασα τὸν Ἀγησίλαον αἰτία τῶν πραττομένων μετασχεῖν ὀφλημάτων πλῆθος ἦν κτλ· Ὡς οὖν τάχιστα προςηγάγετο τοῦτον ὁ Ἆγις, εὐθὺς ἐπιχειρεῖ μετ' αὐτοῦ τὴν μητέρα πείθειν, ἀδελφὴν οὖσαν Ἀγησιλάου, πλήθει δὲ πελατῶν καὶ φίλων καὶ χρεωστῶν μέγα δυναμένην. Heredem eam fuisse marito non habemus exploratum, pecunia magna dos fortasse fuit ex moribus illius saeculi.

Attamen Epicteta Theraea marito heres videtur testamentaria, quamquam liberis non caret. Sua enim dicit αὐτόκτητα χωρία: hoc nomine alios esse fundos probatur, quos ei minus abalienare liceat [2]). Ac verbis: ἀπολείπω κατὰ τὰν γεγενημέναν μοι ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς Φοίνικος ἐντολὰν κτλ mariti antea hasce res fuisse colligitur.

Delphis uxor marito heres Thalheimo videtur [3]) propterea quod primum locum obtinet, ubicunque una cum liberis consentire

[1]) Agis 6.
[2]) Dareste: Nouv rev hist de droit VI, 252.
[3]) Antiqu for p 57 adnot.

dicitur: in eandem sententiam intellegit permultos titulos in quibus femina filio consentiente scilicet vidua manumittit. Satis illam rationem supra refutasse videmur [1]): ceterum quod Delphis uxor semper ante liberos nominatur, contrarium semper Rhodia inscriptio exhibet [2]). Si autem vidua consentiente filio manumittit, servum potius in matrimonium olim ab ipsa illatum cogitabimus. Malim colligere ex W & F 210 et 211, ubi manumissores nominantur:

Τιμὼ Ἀριστομένεος καὶ τοὶ υἱοὶ αὐτᾶς Πατρέας καὶ Δαμότιμος Ἀνδρονίκου Δελφοί,

Λύκα Θρασυκλέος καὶ ὁ υἱὸς αὐτᾶς Σώνικος.

At ne hoc quidem certum.

V. De iure forensi.

A. De actionibus intendendis.

Apud Athenienses cum ipsi peregrino patronus in iudicio opus sit (προστάτης), tutore feminae in causis omnibus utendum est [3]). Quod apud Gregorium Corinthium legimus [4]): τῇ μὲν γυναικὶ δοτέον συνήγορον, ἐπειδὴ ἄπειρός ἐστι νόμων: tutorem hic intellego, sicut scholiasta [5]) citari ita tradit: ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος, τοῦτ' ἔστιν ὁ ἀνήρ. Ipsi feminae licere lege agere ex Harpocrationis verbis s v κακώσεως· δίκης ὄνομά ἐστι ταῖς τε ἐπικλήροις κατὰ τῶν γεγαμηκότων haud efficitur, cum et istam quivis homo habeat actionem et de praesidio mulieris necessario agatur. Apud Demosthenem (LIX, 52) causam quandam pro muliere intendi a tutore legimus: καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ. Quamquam tutor minime suo nomine agit.

Est in Platonis legibus (XI, 14) ut et in iudicio verba facere ingenuae liceat quadraginta annos natae et carenti marito lege ipsi agere (δίκην λαγχάνειν).

---

[1]) vide p 56 sq.

[2]) Newton, Greek inscr II 343.

[3]) haec sententia Gidii est p 80, cum Desjardins auctore alios quoque advocare liceat.

[4]) ad Hermog method eloqu 21.

[5]) Schol ad Aristoph Equ 969.

In titulo Tenio [1]) Anaxicles Philotheam iudicio vicisse dicitur.

Nicareta Thespias ipsa debitum exigit [2]):

ἐπιδεὶ παργενομένας Νικαρέτας Θίωνος Θεισπικᾶς κὴ πραττώσας τὸ δάνειον τὰν πόλιν κὰτ τὰς οὑπεραμερίας τὰς ἰώσας αὐτῆ.

Ut mulieri Romae id ipsi agere licet [3]). Ceterum in ipsa particula F diserte scriptum est: ἡ δὲ συγγραφὴ κυρία ἔστω κἂν ἄλλος ἐπιφέρῃ ὑπὲρ Νικαρέτας, ita ut exactura ipsa antea iam esse videatur [4]).

In Aegyptio papyro vetustiore arcessuntur coniuges ut debitum frumentum reddant [5]): quo loco aut communio bonorum omnium statuenda aut ipse pro uxore fide iusserat maritus: alio loco autem nihil ipse tutor debet [6]). Contra sine tutore novercae nomen femina defert [7]): Ἑρμοκλεῖ τῶν ἀρχισωματοφυλάκων καὶ ἐπιστάτῃ τοῦ Παθυρίτου παρὰ Τασήμιος τῆς Σελώιος χολχυτίδος· ἀδικοῦμαι ὑπὸ Θεννήσιος τῆς γενομένης τοῦ πατρός μου γυναικός.

B. De testimoniis.

Athenienses in iudicio testimonium non dicere feminae videntur [8]): quod idem nobis apud Indos et apud Iudaeos occurrit. Romae cum antiquitus haud aliter res se habeat, iam ante Ciceronis tempora feminae testimonium dicere licet [9]).

Corcyrae in insula Dorica feminae testimonium dicunt etiam si alii praeterea testes sunt. Titulus exstat, quo victus homo et adversarium et testes exsecratur [10]): Σιλανοῦ τὸν νόον καὶ τὰν γλῶσσαν τουτεῖ καταγράφω, καὶ τῶν μαρτύρων τῶν Σιλανοῦ κτλ· Τιμαρέτας τὰν γλῶσσαν κτλ.

---

[1]) Dareste, Nouv rev hist de droit 1884 p 382.

[2]) Larfeld Syll N 16, C.

[3]) Savigny, Zeitschr f geschichtl Rechtswiss X, 236.

[4]) De notione nominis συγγραφή cfr Foucart, Bull de corr hell 1884, p 375.

[5]) vide supra p 47.

[6]) Extraits et notices XVIII, 2 N 7.

[7]) A Peyron, Pap Gr reg Taurin mus Aegypt II p 65.

[8]) Schoemann, Att Proc 667; Guggenheim, Folterung im att Proc p 1.

[9]) Escher, De testium ratione quae Romae Cic aetate obtinuit, Zürich 1842. Marquardt, Röm Privatalt I 58.

[10]) Dittenberger Syll 431.

Plato item ut testis mulier prodeat quadraginta annorum permittit.

Alius generis testes sunt in titulis manumissionum Delphicis, qui gravitatem caerimoniae augeant: id genus muneris ne his quidem temporibus mulieres praestare possunt, cum reliquiae sint moris pristini negotia in contione perficiendi: qua nimirum excluduntur feminae.

C. De iureiurando.

Iusiurandum in iudicio dare feminis Atheniensibus licet [1]). Maiorem solet in divinis rebus omnino potestatem mulier habere [2]). Testimonium autem apud Graecos non ut nostris temporibus in iureiurando poni necesse. Accedit ut sit adversarii hoc iusiurandum prohibere, cum testes ipse iudex interroget.

---

[1]) Dem XXIX, 26; XXXIX, 3; XL, 27; LII, 27. Schömann Att Proc 688.

[2]) vide supra p 3 et 21.



Vita.

Henricus Meyeri filius Lewy Vratislaviae natus a. d. III. Kal. Oct. anni MDCCCLXIII. fidem profiteor Iudaicam. Bertha mater Henrici Miro filia est. Septimum aetatis annum me agentem in gymnasium Elisabetanum pater deduxit, cui Carolus Rudolfus Fickert temporibus illis praeerat vir egregius, nulla virtute non ornatus. Is dicere solebat velut parentes carissimi timorem Dei sapientiae esse omnis initium. Paullo postea quam dira morte senex abreptus erat, examine non sine laude superato Ioannem Paech in primis et Hermannum Zimpel pietate prosecutus in academiam Viadrinam anno h. s. LXXXI. Aprili mense transii, ut grammaticae studerem. Mature summo beneficio Augusti Rossbach professoris illustrissimi ut reciperer in regium philologorum seminarium contigit: ac sodalis fui extra ordinem per annum, deinde ordinarius per menses sex. Nec vero solum linguis Graecae et Latinae operam navabam, sed etiam Sanscritae, Palaeobactricae, Hebraicae. Berolinum tum me contuli ad Hermannum Diels, Adolfum Kirchhoff, Joannem Schmidt, Joannem Vahlen: et annum ibi commoratus, ut studia absolverem, in patriam redii. Ubi praeceptoribus usus sum hisce: Martino Hertz, Alfredo Hillebrandt, Francisco Praetorius, Augusto Reifferscheid, Augusto Rossbach, Adolfo Friderico Stenzler, Conrado Zacher. Philosophos autem audivi Bennonem Erdmann, Jacobum Freudenthal, Theodorum Weber. Et cum magistris gratiam omnibus habeam, complures tamen non uno nomine de me optime meriti sunt. A. d. XVI. Kal. Ian. examen rigorosum, ut aiunt, magna cum laude superavi.

Sententiae controversae.

I.

Apud Themistium in Contione Constantini p 19, ubi legitur δι᾽ ἀλλήλων, primitus διάλληλον in margine fuit ascriptum.

II.

In Euripidis fragmento (407 apud Nauckium) aut scripserim τί ποῦ κατοικεῖ aut τί ποῦ ποτ᾽ οἰκεῖ.

III.

In Euripidis Alcestide 333 lego:

οὔτ᾽ εἶδος ἄλλη σοῦ ᾽κπρεπεστάτη γυνή.

IV.

Apud Propertium (I, 3, 16) legendum est:

Osculaque admota sumere inerma manu.

V.

Apud Livium (XLI, 23, 18) lego: „nunc deliberare de eo periculosum et inmaturum videtur“.

VI.

Quicunque philologus esse his temporibus studet, is operam navet linguae Sanscritae necesse est.

VII.

Vocabulum Palaeobactricum gaesa cum Graeco χαίτη contulerim.



